Omnis prof. Rom. Soc. Jes. cat. inscr.

PROTESTATIO

CONCIONATORVM ALIQVOT AVGVstanæ Confeſsionis, aduerſus conuentum Tridentinum, perniciem ueræ Religioni & Eccleſiæ molientem: & aduerſus eius Conuentus autorem Antichriſtum Romanum:

IN qua monſtratur, quantopere ea turba atque colluuies, à uera Chriſtianaq; Synodo differat: & quàm nefarijs artibus ac maleficijs ſynceræ CHRISTI Religioni & Eccleſiæ inſidietur.

Horum nomina ad finem Proteſtationis ſubſcripta reperies.

ACCESSIT,

NORMA SIMVL ET PRAXIS CONSTITVENDÆ *religionis ac Eccleſiæ, dirimendarumq; controuerſiarum, iam Pontifici & Synodo recepta ac uſitata.*

Vnde liquidò animaduerti poteſt, quid boni inde ſperari expectari'ue debeat.

Anno 1563. *Menſe Martio.*

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Expectabamus à Protestationis huius autoribus, Procemium quoddam, quo editionis huius causas atq; usum plenius exponerent: cuius etiam spes aliqua nobis facta fuerat. Verùm quia propter instantes nundinas absoluere editionem oportet, priores hasce aliquot pagellas INDICE Rerum quæ in Protestatione hac potissimùm tractâtur, occupare uisum est: adiecta simul Erratorum, quibus singulari (puto) Sathanæ studio, operarum incuriam gubernante, scriptum hoc (quod & emendatissimè & elegantissimè, si quod aliud, excudi conueniebat) non paucis locis deprauatum est, correctione. Boni itaq; hoc studium nostrum ut consulas Lector, etiam atque etiam oro.

RERVM

RERVM IN PROTESTATIONE SEQVENTI potiss.memorabilium INDEX.

Abbas Bellosanus Galliæ regis legatus 25
Acta Synodi cur iam nulla edantur, sed tantum Canones 73
Actiones synodorum 72
Actorum Apost.locus 41
Aeneæ Syluij de Synodorum conuocatione sententia 11
allegorias potißimùm consectati Patres 55
Antichristi cum Ecclesia certamẽ 4.5 spiritus sanguinarius. 32.33.34.
Antichristo patefaciendo præcipuè & diuinitùs excitatus Lutherus 4
Argentinenses legati & theologi quomodo Tridenti accepti 81
Augustini de Sacræ Scripturæ autoritate dictum 59.63
Augustini locus alius 54
Augustini locus, Euangelio non crederem, &c. explicatus 61.62

B

Babylonia meretrix sanguine piorum ebria 34
Babylonis regni confusio 39
Basiliensis synodi de Scripturæ autoritate sententia 65
bellum contra Religionẽ, simul cum indicto Concilio motum 30.31.33
Biblicus Canon 47.50
Bononiã translatũ Trident.conciliũ 19.77.
bubo in concilio pro spiritu S. uisus. 84.85.

C

Cabala. 56
Cæsarum in Synodis olim præsidentia qualis 20
canis pro spiritu S. Cardinali in Concilio oblatus 86
Canon Biblicus 47.50
Canones tantum Synodi nunc edi, non etiã Acta: & cur 73
cantilenã eius cantare, cuius panem edas. prouerb. 25
Cardinalis de Turre cremata locus. 43. 66
Catharini cũ D. Soto concertatio 83.84
Cheregatus Papæ legatus 22.28
Chalcedonensis synodi clausula 42
Christiana synodus quæ 45.46.47
Christianus cœtus uerè quis 49
Christiani qui 47
Christiani omnes discipuli uocati 42
Christianorum militia 2.3
Christum etiamnum donaà Patre accepta, hominibus et Ecclesiæ suæ distribuere. 1
de Christo testimonia Turcarum & Iudæorum 62
citandi potestas penes quẽ sit de iure 10
Clemangis locus 84
cleri uitia & morum corruptio 27
Concilium. uide Synodus.
Conciliũ primum Christi, non Petri iussu congregratum 12
Concilium Trident. unà cum moto bello indictum 30.31.33.34
Cõciliũ Tridentinũ iam uicenale ferè, & quale sit. 7 pro Christiana synodo haberi nõ posse. Ibid. illegitimum ratione cõuocatoris. 7.8. item præsidentis 13. inde. item loci. 15
concilij conuocandi iure iam Papam excidisse, & cur 12
Concilij locum liberum & tutum esse omnibus debere 21
Cõcilij potestas immeditatè à Christo 13. 14

Con-

Concilij præsidentia ad quem potißimum pertineat 13.14
Cõcilium in Germania esse celebrandum, in Imp.comitijs decretum 17.18
ad Concilium quales uocandi 43
Cõciliorũ fraudes, præsertim Tridẽtini 69
Conciliorum ueterum mos 49.50
concilijs Papisticis qualis spiritus præsidere soleat 84
Cõfeßio Augustana quo anno primùm Cæsari exhibita 6
Constantiensis synodi decretum 12
controuersiæ in ea prouincia iudicãdæ per Conciliũ, & finiendæ ubi primùm exortæ sunt 15.19
conuentus appellatio, pro Concilio 25
credi alicui, dupliciter dici 62
Crescentij legati ægrotatio & mors 87
Crescentio legato Pont. canis spectrum in Concilio pro spiritu S. oblatum 86
Curtisanorum Rom. pudicitia toti orbi nota 80
Cusani locus de Conciliorum conuocandorum iure 9.13.14. item de ueteri conciliorum forma 66.68
Cypriani locus 54

D

Danielis de Antichristo prædictio 5
discipuli uocati omnes Christiani 41 (di 70
disputationes Tridentinæ synodi cuiusmo-

E

Ecclesia quid Augustino 62
Ecclesia an supra Scripturam 61.62.63
Ecclesiæ cum Antichristo certamen 4 De S.Scripturæ libris censura 62
ecclesiasticæ res uel maximè Democraticæ & communes 10
episcopi officium maximè necessarium & primarium quod 29
episcopi Asiatici & Africani quales Trident. concilio adsint 37 quali à Pontifice iuramento obstringantur, ac ab eodem rursum absoluantur 38
episcopi duo Tridenti ob adulteria interfecti 79
episcopi etiam olim in Synodis iudicare soliti, & quales 44
episcopi Germaniæ cur Tridentinam Synodum accedere cunctati 32.36.37
episcopi quales Tridenti nunc congregati 42.44
episcopi Scenici 39.44
episcopi Tridẽtinæ synodi mutæ personæ, eorumq́; uox sola PLACET, & Amẽ. 72.73.74
episcopi ueteres quales 44 ex Laicis conquiri soliti. ibid.
episcoporum Italicorum & Hispanorum comitatus nullus 16
Esaiæ locus 12
Euangelio non crederem, &c. Augustini dictum explicatum 61.62
Euangeliorum liber in medium Concilij locum poni solitus cur 50.68
experientia, certißimus testis 75

F

Fides uniuersalis & omnium cõmunis 40
fidei certitudo à Catharino damnata 82
Frid. Nauseæ de Tridentini concilij incommoditate sententia 88

G

Galliæ regis Protestatio 24.26.33
Germaniæ situs & amplitudo, & ad Concilij celebrationem commoditates 16
Germaniæ Theologis saluus conductus à patribus Trident. concilij negatus 80
in Germania potißimùm Synodus celebranda 88

Ha-

H

Hadriani Papæ cõfeßio de corruptioue põtificum, Ecclesiæ & aulæ Romanæ 28
hæreseon origo an ex Scriptura S. 63
hæreses solo spirituali Verbi Dei gladio iugulari 64
hæreticis nõ seruanda fides, Constantiensis synodi decretum 20
Henrici Galliæ regis Protestatio Romæ & Tridenti exhibita 24.26
Hieronymi locus 54. explicatio Scripturæ qualis 54
Hierosolymitana prima cõcilia tria 40. 41
Hosij impia Verbũ Dei reijcientis uox 49

I

Iacobus Hurtadus Mendoza 23
Iacobus Nachiantes episcopus Chioccnsis. 77
Imperij totius decretũ, legis uim habere 15
I[illegible]ei locus 53
Iudæorum Cabala, & Patrũ traditiones 58
iudex in sua causa uerus, simulq; & reus et actor esse nemo debet 27
iudicium de re incognita quale 35
iudicij norma qualis esse debeat 52
iudicij processus ab executione inchoatus, iniquißimus 34
iuramenti formula, quo se episcopi papisti ci omnes obstringunt Romano pontifici 21. inde

L

Laici in concilio Trident. exclusi 39.42
laicis etiam licere synodis interesse. 40.42. 44
laicis etiam mandata diuinitùs ueritatis cõfeßio, & errorum damnatio 39
laicis si etiam dicendæ sententiæ et suffragij ius in Cõcilio permittitur, quomodo cauenda, confusio & turba 42. inde
libertatem qualem Papa in Concilijs esse uelit 23
librorum hæreticorum lectio prohibita à Papa 35
libros nostros etiam legere prohibitum. à Papa 71
linguarum trium ad Scripturæ explicationem cognitio necessaria 55
Lutherus ad patefaciendum Antichristum præcipuè & diuinitùs excitatus. 4
Lutherus, tertius Elias 5
Lutheri protestatio & appellatio 6

M

Mantuanæ synodi indictio 18.19
Masoret 56
ministri Christi quales esse debeant 3
ministrorum Christi munus 1.2.3
miracula postremorum temporum, imposturæ satanæ & Antichristi 52

N

Nicænum Concilium S. Scripturæ posthabendum 59
Nicolai Pont. Ro. decretum 46
Norma & praxis synodi Tridentinæ 49

O

Octauius Aloysius Papæ nepos, Sodomita. 76
Origenis Scripturæ explicandi ratio qualis 55

P

Papa Arctolycus 93
Babylonica bestia 28
papa ipse grauiß. scelerum reus 45
papa, pars altera litis, ob quam Synodus conuocanda sit, nempe rea 12
papa quas partes suas proprias agnoscat. 24
papæ de bello contra religionis assertores moto testimonium 31.32

papæ, sui insidentis, typus à Luthero propositus 57
papæ tyrannis 35
papam esse uel maximè eum, de quo iudicari in Cōcilio, tāquā reo, oporteat. 20.27
papam nunquā semet esse reformaturū. 29
papæ pleriq; indocti, &c. 53
papistæ quatenus seruare fidem soleant 20
papistis quotidie deos nasci & interire 59
patres allegorias potißimum consectati. 55 pleriq; linguarum cognitione destituti. ibid.
patres Scripturæ S. posthabendi 51
patrum aliquot de S. Scripturæ autoritate testimonia 53.54
patrum Cabala 56
patrum explicatio cripturæ qualis 54. 55.inde
patrum scripta S. cuiusmodi 52.53.57 & quid à S. Scriptura differant. ib. et 52.61
Paulus Thermus Galliæ regis orator 25
pedetentim uox quomodo à Luthero exposita 29
periuriū Pontificiæ sedi usurpari solitū 39
Petrum quoq; ipsum libenter se aliorum iudicio subiecisse 13
Placet, episcoporū in Synodis uox 70.72. 73.74
Pontifex Ro. Babylonia Semiramis 78
ad Pontificem cur non pertineat Synodum conuocandi ius 10
Pontificum ueterum paupertas, & autoritas tenuis 10
Pontificia tyrannis 13
postā Roma spiritū S. allaturā, prouerb. 69
præsidentiæ longè diuersa ratio in hodiernis Concilijs, quàm ueteribus 71
præsidentiam inferiorem Concilij ad Imperatorem pertinere, non Pontificem 14
præsidentiam ueram soli Christo conuenire in Concilio 13
protestatio Cæs. M. 30. Galliæ regis 23.33

R

in Religionis controuersijs S. Scripturæ, nō Patrum autoritate nitendum 58.59.64
Romanæ curiæ et ecclesiæ corruptio 28.29.

S

Sacræ literæ solæ uerbum Dei 49. & inde multis argumentis.
schisma unde nasci soleat 24
Scriptura S. an Ecclesiæ subiecta 61.62.63
Scriptura S. an hæreseō et errorū origo 63
Scriptura ab Hosio reiecta 49
Scriptura S. ut unica ueræ pietatis norma omnibus proposita 62
Scriptura qualiter à Patribus explicata 54. 55.inde. quid à Patrum scriptis differat. 52.inde
Scriptura scrutanda 64 (57.58
Scripturæ S. an patrum maior obscuritas.
Scripturæ sacræ cōmendatio 50. confirmatio 5. 2 conseruatio miraculosa 57. laus & usus, ipsius Dei testimonio. 59.60.63.
Scripturæ generales normæ 53 (64
Scripturæ S. ignorātia, errorū origo 63.64
Scripturæ interpretatio ex ipsa Scriptura, non patribus petenda 51
Scripturæ interpretatio per manus tradita cuiusmodi 56
Scripturæ sacræ præ Patrum scriptis præstantia 57.61
scripturā esse perspicuā, nō obscurā 50.51
scripturis diuinis niti 53(35
scriptorū nostrorū lectio prohibita à Papa
Senatulus patrū Tridentinorū 69.70.71
sesio 25. in Tridentina synodo quid, & qualis 70
sesiones 72. ociosæ & somnolentæ. ibid

Slei

Sleidani locus 25
ſpiritus conciliabulis Papæ præſidens, qualis 84
ſuffragij ius in Concilijs eſſe etiã penes clerum & laicos, non epiſcopos tantũ. 40. 42. 44
Synodus. uide Concilium.
ſynodus Chriſtiana quæ 45. 46. 47
ſynodi Canones nunc tantum edi, nõ etiam Acta: & cur 73
ſynodi decreta primũ Romæ cudi ſolita. 69
ſynodi & iudicij norma 46
ſynodi forma uetus, ſana et Chriſtiana prorſus ſublata hodie 73
ſynodi proceſſus uerus in quo cõſiſtat 65
ſynodi regulæ 68
ad Synodum uniuerſalem quales conuocandi 44. 45
ſynodi uniuerſales ſingulo decennio celebrandæ 12
ſynodorum antiquarum exempla 40
forma longè alia quàm recentiorũ 65. 69. 70. inde
ſynodorum conuocatio cur ad politicũ magiſtratum pertineat 8. 9. 10
ſynodos nõ ſolùm abſq; Papa, ſed eo etiam inuito congregari poſſe 11

T

Tridentinum concilium. uide Conciliũ. 7
Tridentinũ concilium execrandũ, & cur. 75 Romani pont. ſtercus, diabolicum fermentum. ibid.
Tridentinũ concilium illegitimè conuocatum 19. 20 priuatæ magis quàm publicæ utilitatis gratia inſtitutum 33
ſimul inſtitutũ, & bellum cõtra religionis profeſſores motum 30. 31. 33. 34
Tridentinũ conciliũ nec eſſe, nec uerè dici poſſe liberũ 20. 21. 26. inde. & 30 nec Chriſtianũ, aut generale uel œcumenicũ 36. 39. 42. 45. 65. 73. 74
Tridentini concilij fratrum & patrũ ſpurcities & libido 79
Tridentini concilij ſchiſma. ibidem
Tridentinæ ſynodi forma qualis 74 illegitimus proceſſus 89 indictio 18
Trident. ſynodi omnia ex pont. Rom. arbitrio agi 78
Tridentinæ ſynodi patres Pontifici addicti 25 & ipſi etiam magnorum criminum rei 27
ad Tridentinam ſynodum cur tam pauci ex Germania profecti hactenus 18
Tridentinorũ patrum conuentus potiùs Paganus quàm Chriſtianus cenſendus 46
Tridentinorum patrum ſimulatio 69
Tridentum Cardinali, Papæ addicto, ſubditum 20 extra Germaniã ſitũ 57
Tridenti ſitus, & ad Cõcilij celebrationem incommoditates 17 an ſit in Germania. ibid. & 18. 19. 20

V

Verbum Dei à Tridentini ſynodi gubernatore Hoſio faceſſere iuſſum 48. 49
Verbum Dei, ſolæ ſacræ literæ 49
ueritas è Scripturarum ſcrutatione eruenda 43
Vincentinæ ſynodi indictio 18. 19
Vuirtebergici Theologi et legati quomodo Tridenti tractati 81

FINIS.

ERRATA, OPERARVM INCVRIA PO-tiſsimùm commiſſa, ſic emendabis.

Pag. 4. *uerſ.* 14. *conſeruemusq́;* : & *ſath.* & 24. *ſoliũ* 6. 31. *ac inſerias* 8. 18. *præceperat* 16. 10. *non uidetur* 17. 1. *ſunt in* Germ. 26. 15. *olim Cæſares* & 23. *ſtipatoribus* & *penult. utile* 21. 13. Moguntinũ 22. 1 *et* 12. *cõſilio* 23. 20. Tri*denti in cõcilio* 24. 17. *euenere* 28 27. *ita etiã* 29. 11. *affligerent, uel afflixerant* 30. 1. *obeant* 31. 12. *Chriſtiane* & 14. *ſimul eodemq́; tempore* 32. 22. *inter tot* & 27. *libri* INTERIM *cõtra ius* 33. 8. *permiſſum* & 22. *cauſaq́;* 54. 12. Chri*ſtianiſsimi* & 22. *tamq́;* & 29. *iudices* 37. 3. FINES Germaniæ 39. 17. *qui-buſdam* & *penult.* Pontificum 41. 5. *hic, uel hinc claret* 43. 29. *ſynodo cõgre-ganda* 47. 1. *ſumusq́;* & 25. μετέωρον 48. 3. *ſcholaſticorum* Theol. & 7. Theologia, *chimæra* & 26. *conferemus.* 49. 1. *quarum* & 27. *ſonũ* & *ult. de quo* 50. 25. *confugiamus* 51. 27. *recentioribus ſcriptoribus neceſſariò* 52. 8. *Sic autem* 53. 28. *diuinis niti* 55. 6. *tumidas* 57. 3. *indicium eſt* 58. 3. *coge-mur* & 17. *excuſa, adhuc quotidie noua* 61. 8. Spiritu *ſancto* & 10. *plena ſa-pientiæ ac ſalutaris doctrina* & 17. *ſequitur, is* & 24. *cogitabit,* Dubito quid *et cui credam, cum* Scriptura *ſit* 62. 6. *etiam mox prohibere, ſi cui uideatur, poſsit* : & 21. *ut unicam* 63. 22. *blaſphemiam* 26. *inculcatur* 64. 27. Cardinalis 65. 19. *commodus proceſſus* 69. 13. Chalcedonenſis *concilij* & 30. *cum omnia* Ro-*mæ* 73. 8. *ſic editæ* & 31. *pio* Eccleſ. & 24. *reſponderetur* 74. 8. *eas* 77. 11. *fermè per* & 17. *crudeliſsimo* 78. 14. *patuiſſet* & 15. Epiſcopos 79. *antepe-nult. ſuſpenſum* 80. *ult. ſolenniter eſſet* 82. 15. *patentiſsimè* 84. 1. *ex diſput.* 21. *carnales* & 29. *quam illo*

94. 13. Flacius.

PROTESTATIO
QVORVNDAM CONCIONATORVM AVGVSTANÆ CONFESSIONIS

aduerſus conuentum Tridentinum, molientem perniciem ueræ Religioni & Eccleſiæ, & aduerſus eius conuentus authorem Antichriſtum Romanum. In qua monſtratur, quantopere ea turba à uera Chriſtianaq; ſynodo differat, & quam nefarijs artibus ac maleficijs ſynceræ Chriſti Religioni & Eccleſiæ inſidietur.

PRAEFATIO.

DOMINVS IESVS CHRISTVS non tantum peracta ſua legatione iamiam ex hac mortali uita in cœlum ad patrem aſcenſurus, ablegauit in uniuerſum mundum ſuos Apoſtolos, diſcipulos & alios miniſtros, ad prædicandum Euangelium, & oppugnandas deſtruendasq; idololatrias, & omnis generis corruptelas: ſed & poſtea ſemper atq; adeò nũc quoq; ſedens ad dexteram Patris, accipit dona, eaq; largitur hominibus, dans & efficiens alios paſtores, alios doctores, aliosq; diuerſi generis miniſtros, ad collectionem & exædificationem ſuæ longe dilectiſsimæ Eccleſiæ, & ad oppugnationem ac deſtructionem contrariæ impiæq; turbæ malignantium & regni ſatanæ.

Eos ergo ſuos miniſtros, quantumuis paruis donis ac dotibus tenuiq; ſorte inſtructos, uult, ſeueriſsimeq; iubet ſumma fide induſtriaq; attẽdere ſibi & uniuerſo gregi: uult negociari, & plurimum fœnoris ſibi lucrari: uult uſq; ad mortem contra omnis generis quantũuis præualidos lupos, fures ac latrones, pro lege ac pro grege ſuo decertare. Quòd ni ſumma optimaq; fide faciant, grauiſsimas rationum exactiones, triſtiſsimasq; pœnas eos in extrema die

daturos, seuerissimè certissimeq; denũciat, minatur ac protestatur.

Nec tãtum ipsos pastores ac spirituales ministros uult ille attentè in sua domo ac ouili pro grege suo uigilare, suamq; uoluntatem ac mandatum in eo, donec uenerit, obseruare ac exequi: sed etiam uniuersos Christianos, uel infimi status, functionis ac donorum uult esse suos fideles strenuosq; huius spiritualis belli milites optimè scuto fidei & gladio uerbi armatos, eos tantum suam uocem audire & sequi, confiteri liberrimè coram regibus ac principibus huius mundi, nihil metuentes aut curantes uel suam despectam tenuitatem, uel illorum terrificam maiestatem, uel sapientulorum huius Mundi carnalia de se iudicia, ipsa etiã extrema pericula. Vult deniq; illos odisse, detestari & anathematizare omnes eos qui aliud Euangelion docuerint, cuiuscunq; numeri, potentiæ, dignitatis aut status sint, & quocunq; demũ titulo censeãtur, tumeãt ue, etiãsi sint summi Apostoli atq; adeò supremi Angeli de cœlo ipso.

Omnes homines ille uult & seuerissimè pręcipit custodire cœleste depositum, idq; tanta fide, attẽtione ac zelo, ut (sicut in Deuteronomio mãdat) etiam si aut uicinus, aut cognatus, aut amicus, aut parentes, aut liberi, adeoq; dilectissima coniunx incipiat uel solum clam à ueritate aberrare, nosq; aut alios conetur unà secum in errorem inducere, id ferre nequaquã tacitè patienterq; debeamus, sed potius extrema omnia contra eos maturè agere prouidereq; non cunctemur. Qui enim id non faciat, eum negat Dominus ac seruator se dignum esse, nec se eum coram patre cœlesti in extrema die pro suo agniturum, quicunq; demum is sit, siue summus siue infimus homo, nemine omnino excepto.

Nec tantum mandatis, minis ac promissionibus filius Dei omnes suos, etiam infimos ad hanc tam arduam militiam euocat, aut etiam trahit: sed simul quoq; promptam efficacemq; opem illis in summo discrimine pollicetur: affirmans, se eis in illa quasi pręlij & conflictus hora artem, robur, animumq; strenuè pugnandi suppeditaturũ, prõpteq; daturum quid agant & loquantur: largiturum deniq; ita præpotentem spiritum, cui nemo resistere possit. Atq; adeò tandem pronũciat non ipsos esse aut fore qui loquantur, sed ipsum patris spiritum per os eorum loqui, & contra aduersarios

depu-

depugnare.

Non solum autem potens ualidumq; auxilium in tanto rerum discrimine pollicetur Christus suis infimis pusillis, sed etiam lætum optatumq; tantorum periculorum exitum, quod ex ore infantium & lactentiū sit uirtutem ac uictoriā consecuturus: quodq; infima eligat, & ea quæ non sunt, quò per ea, summa ac potentissima quæq; expugnet, confundat, euertatq;. Quare dicit: Confidite, ego uici mundum: & do uobis tantam potestatē contra omnem uim hostilem, ut etiam aspides & dracones pedibus illæsi conculcetis. Quin & ipsum satanā se sub pedibus nostris cōtriturum, nec portas inferorum contra nos præualituras esse, benignissimè pollicetur, certoq; spondet.

Licet autem iste tātus Imperator omnes suos etiam infimæ sortis pusillos, uelit tam strenuè pro ueritate, Religione ac Ecclesia, contra principem huius mundi, omnesq; aduersarios depugnare, eisq; & auxilium & desideratam de hostibus uictoriam largissimè promittat: Tamen longè magis ac in primis, ut & suprà dictum est, exigit fortissimam pugnam cōflictumq; pro lege & pro grege suo, à suis Ecclesiæ uerbiq; ministris, quos ad hoc ipsum (uti prius audiuimus) cœlitùs largitus est, necessarijsq; donis, ueluti firmissimis fulgētissimisq; quibusdam armis instruxit. Illos enim uult esse pastores bonos, uel usque ad mortem pro suo grege dimicantes: illos iubet esse canes, cōtra rapaces lupos minimè mutos: illos præcipit sanare oues læsas, quærere amissas, reportare debiles: illos uult esse oculatissimos & uigilantissimos speculatores, qui irruentem hostem maturè & ueluti à longè cernant, & clarè euidenterq; exaltata instar tubæ uoce omnibus commonstrent, ut omnes sibi maturè prospicere ac cauere queant, nec æterno exitio ab eo perdantur.

Quin etiam flagitat seuerissimè Deus ab omnibus ueris Doctoribus, ut in grauissimo discrimine, ueluti cum iamiam oppugnans ciuitatem hostis, aliquas turres subuertit, & mœnia perrupit, eò ante alios ueluti antesignani quidam alacriter prosiliant, seq; ibi tanquam nouum murum pro domo Domini irruenti hosti promptissimè & fortissimè opponant, ueluti suo proprio corpore cæ-

tum Dei protegentes, uitamq; ac sanguinem proprium pro grege Domini sponte & promptè profundentes.

Quare cū hac longè durissima ac periculosissima militia, adeò seueriter cùm ab omnibus pijs, tum præsertim ab ipsis Christi ministris exigitur, ut scilicet tum ueritatem cœlestem profiteātur, propagent & tueantur: tum etiā seductoribus ac erroribus, omni ui ac conatu resistant, eosq; oppugnent, & benedicente Domino expugnent: agnoscimus sanè grauissimo Dei mandato nos quoq; cogi, ut quantumuis tenuibus donis instructi simus, summa tamen alacritate, non parcentes nostræ aut nostrorum uitæ, in medium progrediamur: & cum omnibus hostibus Dei ueræq; Religionis ac Ecclesiæ certantes, uel usq; ad mortem, pro iusticia ac ueritate nos opponamus: cœleste depositum, Christo benedicēte, tueamur, conseruemusq; & satanam cum suis organis ac infernalibus fermētis & zizanijs (ipso Domino omnia in omnibus potenter operante, & incrementum dante) longissimè ab omnibus finibus & agris domus Domini propellamus, proturbemusq;.

Est uerò nunc, eritq; proculdubio (teste Propheta) etiā in posterum, præcipuum ac lōgè difficilimum certamen Ecclesiæ cum Antichristo, nunc ingenti Dei benignitate patefacto, & potenter uerbo ipsius confutato. Prædicit enim Scriptura, fore ut ille hostis Dei, postquā semel prostratus fuerit, denuò conetur, ope etiam falsorum fratrum ac non infimæ in Ecclesia sortis hominum adiutùs sese in pedes erigere, suumq; in templo Dei solum instaurare.

Quod quā seriò multipliciterq; ille, uel tantum à felici obitu Lutheri piæ memoriæ (qui ad patefaciendum eum præcipuè diuinitus, missus excitatusq; fuit) conatus sit, plurimis, præsertim rerum gnaris, & de Religione sollicitis, est notissimum. Nec multum sanè abfuit aliquoties, quin suo impio uoto ac spe potitus fuisset: nisi ipsemet filius Dei, Michael noster, eius, collusorumq; ipsius nefarijs conatibus potēter restitisset: cui soli sit omnis gloria, quemq; ut & in posterum suum istum immanissimum hostem gloriosè retundat, omnes pij ex animo assidueq; orabunt: Quia uerè non est alius, qui pro nobis pugnet, aut pugnare ualeat.

Porrò enumerare omnes nefarios dolos, & fraudulenta simul

& uiolenta molimina, quibus Antichristus se, sua mancipia, suos collusores, nostros'ue uel manifestos apostatas, uel falsos fratres latenter cum eis scortantes, suum labefactatum regnũ iterum sarcire conatus est, nimis planè longum esset: sed tamen inter præcipua eius molimina, potentissimasque machinas, quas contra Deum Ecclesiam ac Religionem erigit, est fuitque eius impium ac blasphemũ conciliabulũ: quod ille, uiuo Luthero, amplius per annos 30, sedulò uarijs Bullis in pluribus locis se conuocare simulauit: nec tamen unquam ausus est reipsa serioque instituere. Eo uerò mortuo, cùm etiam armis externaque uiolentia nos cum suis debilitasset, quosdam autem potentes (ut dudum Daniel prædixit) diuisione terrarum sibi deuinxisset, & per illos porrò nonnullos primarios doctores subuertisset, tãdem ueluti de uictoria, fractis iam nobis, certus seriò cœpit suum quendam conuentum colligere: in quo nostras Ecclesias, & ipsum Christi Euangelion, sub specie iuris ac ueritatis, condemnaret, & prorsus opprimeret ac perderet.

Cui eiusdem nefario Cainicoque conatui nos, omnesque Christo uerè addictos ac militantes, obuiã ire strenueque resistere prorsus necesse est, tum propter seuerissima omnipotentis Dei mandata suprà indicata: tum etiam, quòd & agnoscimus & profitemur nos discipulos ac successores uiri Dei, nostri uerè tertij Eliæ, MARTINI LVTHERI, qui & confutauit euidentissimè istum filij Dei hostem, & contra eius satellitumque ipsius Cainicam uiolentiam & sanguinolentiam aliquoties solẽniter protestatus est: appellauitque ad liberam, legitimam & Christianam synodum, cuius nos ut causæ contra Antichristum, ita & sancto optimeque instituto processui ex animo adhæremus.

PROPOSITIO.

PRimùm igitur solenniter profitemur, legitimeque protestamur coram Deo, eius Ecclesia, Romano imperio, & toto terrarum orbe, nos infrà scriptos, Ecclesiasque in quibus agimus ac docemus, constanter adhærere synceræ doctrinæ Euangelij IESV CHRISTI, quam Deus hisce postremis temporibus per Reuerendum uirum D. MARTINVM LVTHERVM, piæ memoriæ, instaurauit: cuiusque

postea breuis quædā summa, præsertim quod ad controuersos articulos attinet, in Confessione Augustæ Cæsareæ Maiestati totiq; Imperio, anno 1530. in publicis Imperij Comitijs solenniter exhibita, & adiuncta Apologia defensa est. Cui postea Smalcaldici articuli uberioris explicationis gratia accesserunt, qui quidem in hoc ipsum à primarijs nostrarum Ecclesiarum Theologis conscripti, & à magistratibus etiam comprobati fuerunt, ut Mantuam aut aliò ad Concilium mitterentur.

Secundò, testamur & protestamur, nos semper omnes sectas & corruptelas huic doctrinæ ac confessioni contrarias damnasse, & nunc etiam seriò ac ex animo damnare: nec participes ullius cum eis collusionis esse, aut fuisse. Quòd si etiam quis nos uerbo Dei erudire posset, nos uel inscios ullam prauam sententiam huic doctrinæ confessioniq; contrariam sequi, affirmamus bona fide, nos eam damnaturos esse. Offerimus etiam nos nunc & semper, ad omnem uberiorem & necessariam nostræ sententiæ declarationem, omniumq; sectarum & corruptelarum liberam, publicam ac ingenuam damnationem.

Tertiò, profitemur ac protestamur, nos adhærere, & semper constanter adhæsisse Protestationi & Appellationi Reuerendi patris D. LVTHERI, ab iniustissimo uiolentissimoq; iudicio Pontificis ac omnium eius factionis iudicum, (siue Consilij, siue aliquo alio præclaro nomine impiè uenditentur aut ornētur) ad liberum, Christianum, legitimum, ac in spiritu S. congregatum concilium. Qui processus, Protestatio & Appellatio fuit postea unanimiter ac multoties à nostris Ecclesijs renouatus, & in aliquot etiam Imperij conuentibus ab omnibus Statibus cōprobatus, & à nostrarum Ecclesiarum politijs ac gubernatoribus repetitus, & in se quoq; translatus. Quarum solennium publicarumq; actionum & scriptorum, aliquot narrationes & summæ in Sleidani Historia recensentur, quas hic omnes ut repetitas ac incertas haberi cognosciq; uolumus ac petimus.

Quartò, illud quoq; seriò solenniterq; indicamus, nihil ad nos pertinere, nec nos umquam approbasse, aut comprobare, si quis (quicunq; demum is esse posit) quoquo modo, uel in alia conci-

ssa consensit, uel ab hoc solenni ordinarioq; Lutheri nostrarumq; Ecclesiarum & politiarum processu recessit. Nemo enim alienum ius aduersario cedere potest.

Quintò affirmamus, legitimeq; ac solenniter coram Deo, tota eius Ecclesia, coramq; Imperio Romano & toto Terrarum orbe protestamur, Tridentinum conuenticulum hisce annis 17, à morte uiri Dei Lutheri sæpius dolo malo, modò conuocatum, modò dissipatum, aliquoties etiam ab ipsis Regibus ac Monarchis (ut postea luculentius patebit) damnatum: & nunc tandem fermè post uicenale temporis spacium, quasi altero iam seculo denuò, ut illi uolunt, recollectum (in quo etiam quædam contra nostram Religionem constituta sunt) nequaquam esse Christianam, legitimam, liberam, uniuersalem, in spiritu S. & in Germania congregatam synodum: quam ultimam ueri Concilij conditionem, ut æquissimam, extremeq; necessariam, aliquoties totius Imperij decreta adiecerunt, solenniterq; decreuerunt: sed potius per omnia prorsus contrarias hisce conditiones habere. Quod postea euidenter, Christi ductu opeq; demonstrabimus.

Quare simul testamur ac protestamur, neminem pium posse bona conscientia tale conuenticulum pro uera ac Christiana synodo agnoscere, ei'ue causas Religionis ulla ex parte concredere. Quin potius contra omnes debere id cum omnibus suis machinationibus, decretis, anathematismis & reformationibus, ut impiam blasphemamq; Antichristi factionem & conspirationem, fugere, odisse, abominari, & detestari. Quod ex sequentibus luculentius, omnibus ueri cupidis patebit.

Illegitima synodus ratione conuocatoris.

ANte omnia igitur ostendemus, non esse legitimam synodum: idq; pluribus rationibus, quæ ordine consequuntur. ut sunt in summa: Quia nec à legitima, aut iure ac more ueteri ad hoc ordinata persona indicta sit: nec habeat ex omni Christianitate idoneas personas conuocatas: nec legitimum præsidentem: nec denique secundum lectas probatasq;, aut inquirendæ ueritati idoneas leges aut normas ordinata formataq; sit,

Quòd

Quòd autem non sit à legitima persona indicta & conuocata, inde probatur: Quia perpetua Ecclesiæ consuetudine usq; ad millesimum Domini annum, (donec adhuc aliqua eruditio, pietas ac libertas in populo Dei superfuit, & donec Imp. Romanum suum ius, uigoremq; obtinuit, & non omnia pedibus suis Antichristus subiecerat) Imperatores ac Reges, non Papæ ac Episcopi synodos, præsertim uniuersales conuocarunt. Quod liquidò ex omnium synodorum Historijs probari potest.

Nam (ut à Veteri testamento incipiamus) omnes generales conuocationes populi, sacerdotum, & Leuitarum fecit suo tempore Moses, non Aaron: Iosua, non Eleazar: iudices, non sacerdotes. Sic & postea Dauid duas magnas synodos conuocauit, 2 Sam. 6. & Salomon, 1 Reg. 8, cum arcam templo inferret, & templum dedicaret Domino, totumq; cultum ac Religionem constitueret.

Idem legimus postea quoque factum ab Asa, Iosaphat, Ioas, Iosia, Zerobabel, Nehemia & alijs, cum quidem tūc essent in populo summi Pontifices diuinitùs ordinati, quibusq; Deus omnes obedire seuerissimè perceperat: non humana audacia ac temeritate aut Romulea ambitione euecti, ut præsentes Papæ tyrannidem in Ecclesia inuaserunt.

Quare cum hæc perpetua consuetudo ac ius uiguerit in Veteri testamento, idq; regnantibus pientissimis & sanctissimis Deoq; probatissimis regibus ac politicis gubernatoribus: facilè animaduerti potest, atq; adeò etiam planè necessariò consequitur, hoc esse non tantum humani, sed & diuini iuris decretum, ut politici gubernatores, non Pontifices, conuocent synodos ac conuentus etiam Religionis gratia. Non enim sibi id iuris illi sanctissimi, Deoq; familiares gubernatores ac reges unquàm usurpassent, nisi eis liquidò constitisset, id ita diuina uoluntate ac mandato decretum ordinatumq; esse.

Sicut uerò in Veteri testamento pij Reges, alijq; gubernatores hac potestate, ut propria, piè usi sunt: ita & in primitiua Ecclesia, post Apostolos, omnia illa celebria generaliaq; Concilia, Cæsares ac Reges (non Papæ) conuocarunt: Constantinus Nicænum, Theodosius Constantinopolitanum & Ephesinum, Martianus

Chalce

Chalcedonense, Iustinianus aliud Constantinopolitanum: ut postea plenius ac clarius exponetur, & ex ipsis Pontificijs scriptoribus probabitur.

Sic & in Occidente plurima, Toletana & alia conuocarunt Reges Hispanici, & in Gallia Gallici: præsertim autem Carolus M. eiusque posteri, ac deinde etiam Otthones ac Henrici. Denique etiam proximum Constantiense Sigismundus Cæsar, non Papæ conuocarunt, qui tunc tres erant, & concilium sedulò fugitabant.

Adeò uerò indubitati iuris fuit olim conuocatio Conciliorum, ut non rarò ipsimet Papæ, etiam celeberrimi (ut Gregorius, Leo & alij) humiliter atque adeò suppliciter orauerint Cæsares, ut conscriberent Episcopos. In Leonis quidem cognomento Magni epistolis, ad synodum Ephesinam, Theodosium, Martianum & alios amplius 20, citra omnem dubitationem ius conuocandi synodos Imperatoribus tribuitur: quarum dicta operæprecium esset hîc ad uerbum adscribi, nisi nimia prolixitas obstaret. Vide autem tu ipse eas, Christiane Lector.

Ne autem in re certa, ut dubia, diutius commoremur, producemus duos huius rei testes, quorum autoritas apud istos omni exceptione maior esse debet. Nam Cardinalis Cusanus testatur libro 3. de concordia Catholica, cap. 13. Omnes synodos usque ad annum Domini 900, à Cæsaribus ac Regibus cõgregatas esse. Quin etiam citat Anastasium Bibliothecarium, idem affirmantem. Verùm maioris certitudinis gratia, ipsa uerba Cusani adscribemus:

Ex superioribus habetur, Imperatores sanctos congregationes synodales uniuersalium Conciliorum totius Ecclesiæ semper fecisse. Ita ego perlustrans gesta omnium uniuersalium Conciliorum usque ad octauam inclusiuè, Basilij tempore celebratam, uerum esse reperi: ita quoque in eadem octaua synodo, in quinta actione, Heliam colendissimum presbyterum & Sincellum throni Hierosolymorum in auditione omnium effatũ legimus: Scitote, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant synodos ex toto terrarum orbe: & uicarios ad huiusmodi dispositionem causarum colligebant. Quorum ergo uestigia sequutus

& Dei cultor Imperator noster, uniuersalem hanc synodum fecit. Hæc ibi.

Et legi in glossula Anastasij Bibliothecarij Apostolicæ sedis, qui eandem synodum de Græco transtulit, super eodem dicto: Quòd uniuersales synodos de omni terra Imperatores colligere soliti fuerant: locales uerò, &c. Hactenus Cusanus.

Horum uterque fuit non tantum peritissimus rerum, ac præsertim historiarum Ecclesiasticarum: sed etiam Pontificibus Romanis intimus, acceptissimus, & addictissimus: ut non possit uideri odio illorum quicquam huiusmodi confinxisse.

Nec ratione caruit illud ius Imperatorium. Qua enim fronte, qua'ue autoritate illos conuocaret Pontifex, qui nullam potestatem politicam aut Ecclesiasticam super alios Episcopos habuit, priusquam sibi eam recentioribus temporibus tandem uiolenter usurpauit? Iura enim dicunt, quòd ille habeat citandi seu uocandi potestatem, qui citandos aut uocandos habet suæ iurisdictioni subiectos.

Præterea quomodo Pontifices tot episcopos conuocassent, quibus tum (ut pauperibus necesse fuit) nec sumptus, nec tuta itinera aut uehicula suppeditare poterant?

Inter rationes, cur conuocatio synodorum magistratui politico concedenda sit, etiam illa meritò numerari posset, quòd Pontifex, ut doctor, facilè autor alicuius hæreseos existere potest: aut alioqui in exorta Ecclesiæ controuersia, suum aliquod magnum interesse habere: qui certè uel prorsus non conuocaret synodum, uel non uti publica utilitas ac ueritas flagitat. Quę incommoditas non perinde facilè in Regem aut Imperatorem, ut ab istis rebus ac controuersijs remotiorem, incidere posset.

Vt uerò olim Cæsares ac Reges synodos conuocarunt: ita & nunc Imperatores, Reges, ac etiã Principes & Ciuitates, cõiunctis sententijs & operis, synodum communem congregare deberent. Cum enim in Imperio Principes & Ciuitates etiam ius regiminis in maximis quoque rebus habeant, hinc profectò nequaquam excludendi sunt: præsertim cum res Ecclesiasticæ uel maximè democraticæ communesque omnibus hominibus sint, & ad singulo-

rum

rum æternam salutem pertineant: eoq; illa regula hic uel in primis ualere debeat, quod ad omnes pertinet, communi consensu fieri debet.

Disserit & Syluius, aut Pius II. in primo libro synodi Basiliensis, posse synodos non tantum sine Papa, sed etiam eo prorsus inuito cōgregari. Verba eius hęc sunt: Ex quibus autoritatibus mirum in modum se putant armatos, qui fieri posse sine consensu Papæ concilia negant. Quorum sententia si (ut ipsi uolunt) inuiolata persistat, ruinam secum Ecclesiæ trahit. Quid enim remedij erit, si criminosus Papa perturbet Ecclesiam, si animas perdat, si peruertat exēplo malo populos, si deniq; contraria fidei prædicet, hæreticisq; dogmatibus imbuat subditos? Nullū'ne hic parabimus obstaculum? Sinemus'ne cum ipso cuncta ruere? Quis est qui existimet Romanum Pontificem ad sui emendationē Concilium congregare? Nempe ut peccant homines, sic etiam impunè peccare uolunt. At ego dum ueteres lego historias, dum actus perspicio Apostolorum, hunc equidem usum non inuenio, ut soli Papæ concilia congregauerint. Primumq; omnium conciliorum, ubi Matthias substitutus est Iudæ, non iussu Petri, sed iussu Christi congregatum inuenio, qui Apostolis præcepit, ne ab Hierosolymis discederent, sed promissionem patris expectarent. Secundum, de electione Diaconorum, non solus Petrus, sed & duodecim Apostoli congregarunt. quia scriptum est: Conuocantes duodecim multitudinem. Tertium, de sublatione circuncisionis, & aliorum legalium, communis inspiratio congregauit. scribitur enim: Conuenerunt Apostoli & seniores. Quartum uerò, ubi quædam legalia permissa sunt, uidetur per Iacobum fratrē Domini coadunatum. Et sic discurrendo per omnia, nihil in primitiua Ecclesia reperitur, per quod autoritas hæc congregandi concilia solis Romanis Pontificibus pateat. Nec pòst tempore Magni Constantini & aliorum Augustorum, ad congreganda concilia quæsitus est magnopere Romani assensus Papæ. ideoq; Chalcedonensis synodus sic de se ait: Sancta & magna uniuersalis synodus, quæ secundum gratiam Dei & sanctiones pijssimorū Christianissimorumq; Imperatorum Valentiniani & Martiani Augustorū congregata est apud Chalce

doniam metropolim Bythiniæ prouinciæ, nec de Romano Pontifice facit synodus mētionem, quamuis eius illic consensus fuerit. Hæc ille: quem postea etiam Papam fuisse notum est, ut apud istos sacrosanctam eius autoritatem esse, iure oporteat.

Vt uerò maximè omni iure competeret (ut non competit) Romanis Pontificibus conuocatio concilij: tamen eam uel propterea dudum amisissent, quòd iam amplius annos 100. nullam ferè uniuersalem synodū habuerunt: cū Constātiensis synodus decreuerit, singulis decennijs uniuersales synodos esse celebrandas. Docent uerò etiam ipsa Pont. iura, quę ipsi sibimet pro libitu condiderunt, quòd cessante aut differente Pontifice & Cardinalibus synodi generalis congregationem, ea potestas ad Imperatorem deuoluatur.

Nec est quòd hic cōtrà obijciant, de cōuocationibus iam annis 40 iteratis, cum pleręq; aut prorsus simulatæ fuerint: aut certè tali fraude institutæ, ut sine certa pernicie, ueritatis confessores eas adire non potuerint: ut liquidò experientia patuit, & mox magis patebit, testimonijsq; etiam Cęsaris & Episcoporum comprobabitur.

Deniq;, ut & semper habuisset Papa ius conuocandi synodos, & nunc nulla negligentia, malo dolo aut culpa amisisset: tamen uel propterea ei hoc tempore, & in ista controuersia, conuocatio synodi nullo modo conueniret, aut concedenda esset, quòd is uel maximè sit pars altera litis, idq; insuper rea, quam uel præcipuè ibi iudicari oportet, quamq; nostræ Ecclesiæ de summis maximisq; criminibus accusarunt, & adhuc accusant: & in posterū, præsertim in libera synodo, si unquā ulla erit, seriò accusabunt. Nullo autem iure aut ratione potest idē esse pars uel agens, uel rea & iudex, aut qui quoquo modo pro suo arbitrio iudices cōstituat & conuocet.

Soliti sunt iam olim Scriptores obijcere Pontifici in hanc sententiam, & contra hanc eius tyrannidem, quòd Deus ipse, in sua lite cum sua uinea, Isa. 5, se submittat alieno iudicio, & non uelit ipse suo arbitrio pronunciare, simulq; accusator & iudex esse.

Sic & filius eius dilectus, cum Iudæis litigans concedit, ut suum testimonium reijciant: modò Patri cœlesti, Scripturæ, & miraculis de se testantibus fidem habeant.

Soliti

Soliti sunt etiam ueteres citare contra Pontificiam istam tyrannidem, suo arbitrio iudicia & Ecclesias pedibus conculcantem, quod ipsemet Petrus, de cuius successione adeò isti gloriãtur, nihil prorsus recusauerit, Hierosolymæ fratrum iudicium, cum accusaretur quòd ad Gentiles introisset, subire: nec postulauerit, ut ipse sui iudex esset: quodque postea patienter Antiochiæ tulerit, se à Paulo coram tota Ecclesia grauissimè ac in faciem obiurgari.

Quòd si omnipotens ille rerum omnium Conditor, eiusque dilectissimus Filius, & denique etiam Apostoli Christi sese alieno iudicio submittant, nec in propria causa simul pars & iudex esse uelint: infinities profectò magis nunc Romanũ pontificẽ in sui accusatione idem necessariò facere oporteat, omisso omni iure conuocationis & præsidentiæ, si modò ulla legitima cognitio fieri debet. Hinc ergo apparet, istud Concilium nequaquam esse legitimum: quia conuocatio iudicum est facta ab eo, cui tum leges, tum & omnis æquitas, modis omnibus id ius potestatemque, nunc præsertim derogant.

Illegitima Synodus ratione præsidentis.

Eadem omnia possemus dicere etiam de præsidentia, quam sibi in isto conciliabulo Pontifex Romanus cõtra omne ius rapit. Vera enim præsidentia propriè Christo conuenit, teste Cusano Cardinali, cuius hæc sunt uerba: In quæstione de præsidẽtia, primò considerandum occurrit, si quæritur quis Concilio, aut quis in Concilio præsidere debeat. Primæ quæstioni breuiter respondet ipsa ueritas quæ dicit: Vbi duo uel tres cõgregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Et textus Chalcedonensis Concilij, qui dicit: Non dubium, Spiritum sanctum patribus in Nicea congregatis præsedisse: sicut manifestè præsedit. & Christus dicit: Vobiscum sum omni tempore. dicit uobiscum: non hoc de omnibus particulariter dixit, cum quibus non semper fuit, quoniam ab eo per peccatum recesserũt: nec dixit de ipsis tantum Apostolis, qui non fuerũt in omni tempore hic mansuri: sed de ipsa Ecclesia sacerdotali, quæ semper durabit. Et per textũm Constantiensis decreti probatur, qui dicit, Concilij potestatẽ immediatè à Christo esse. Sicut & Patres in octaua uniuersali Synodo, in fine dixerũt: Per datam

nobis potestatem in Spiritu sancto, à primo & magno Pōtifice no stro & Deo, liberatore & saluatore.

Ex huiusmodi & similibus multis patet, quòd nullus homo præsidet sanctißimo Patrum cōuentui, qui ritè adunati Cōcilium faciunt: quoniam Synodica autoritas immediatè est, & à Christo, qui in medio sedentium est, & à Spiritu sancto qui præsedit Patribus, & potestate ligandi & soluendi sacerdotio tradita. Hactenus Cusanus.

Sed inferior præsidentia, quæ tantum ordinem colloquendi dirigit, ueteri cōsuetudine Imperatori, non Pōtifici cōuenit. Quod idem Cusanus Cardinalis in breui libello de Præsidentia testatur. hæc enim sunt eius uerba: Deinde sciendum est, quòd in uniuersalibus octo Concilijs, ubi Imperatores interfuerunt, & non Papa, semper inuenio Imperatores & iudices suos cū senatu primatum habuisse, & officium præsidentiæ per interlocutiones & ex cōsensu synodi sine mandato conclusiones & iudicia fecisse: & nō reperitur instantia in octo Cōcilijs, de quibus 16 dist. sancta octo. Præterquam in tertia actione Chalcedonensis Cōcilij, ubi Paschasius, Licentius & Bonifacius Leonis Papæ uicem gerentes (quia nullus pro parte Imperatoria interfuit) tunc in synodo primatum leguntur tenuisse, & præsedisse, & concilium direxisse per interlocutiones: & demum ex iussu synodi, ex eo quia primatum tenebant, & eminentiorem locum, sententiam primò dixisse, per interlocutiones in Dioscorum, ex æquo consensu alijs omnibus cōiudicantibus: & direxerūt omnes illi uicarij senioris Romæ Leonis Papæ archiepiscopi per unum, scilicet Bonifacium, qui se in subscriptione præsidentem solus uocat, & alij non. Hactenus Cusanus.

Hic ergo totius ueteris Ecclesiæ consuetudinem, proculdubio iure ac graui oratione non carentem, à fide digno audimus, quòd semper Imperatorū ac Regum fuerit prçsidentia: & quod in tot illis celeberrimis synodis, & innumeris penè actionibus, tantum semel per absentiam Imperatorum, idq; non suo aliquo iure, sed rogatu ac concesßione Patrum, præsederint, & actiones direxerint.

Huc accedit, quòd cum Episcoporum sit uel maximè, conferre de Religione, quod ius Romanus Episcopus omnino sibi seruare

uolet:

uolet:necesse est alium esse præsidētem, qui etiam ipsius actiones & orationes, sicut & aliorum Episcoporum, moderetur.

Porrò si maximè præsidētia Romano isti Pontifici perpetuo iure aut consuetudine deberetur: tamen ob easdem causas ea nunc meritò careret, quas indicauimus suprà in conuocatione, nempe quòd & malè neglexisset Concilia, ac ista potestate abusus fuisset: & cum nūc sit pars rea, nullo iure præsidere isti iudicio queat, ubi uel maximè de eo iudicari, in rebus longè grauissimis oporteat.

Ergo in hac quoq; parte aut conditione Tridentinum Conuenticulum non est legitima Synodus, cum eam Papa præter ac cōtra omne ius, per suos Curtisanos ac mancipia pro arbitrio regere & administrare conetur: eaq; ratione ueritatem & eius confessores opprimere, sua uerò scelera & errores tueri & cōseruare omnium facillimè queat.

Illegitimus locus synodi.

AD synodi (ut ita dicamus) legalitatem aut legitimam celebrationē etiam illud referatur, quòd toties in publicis comitijs, à toto Imperio, unanimiter decretum est, ut synodus celebranda pro præsentium Religionis controuersiarum diremptione, omnino in Germania, in aliqua ampla ciuitate habeatur. Quod enim totum Imperium rectè decernit, meritò uim legis obtinet.

Decreuerunt autem id status Imperij, anno 1524 Noribergæ, Augustæ & Spiræ, anno 26 & 29. Ratisponæ, anno 32 & 41. Iterū Spiræ, anno 1542. Denuò Noribergæ, 43. Ac postremò Spiræ, 1544.

Huc etiam referatur uetustissimus Ecclesiæ Canon, cuius etiam Cyprianus in quadam Epistola ad Cornelium Papam meminit: quem quoq; postea sexta Carthaginensis, & multæ aliæ synodi cōfirmarunt, quiq; & infra quoq; à C.M. in sua Protestatione contra Papam citatur: Quod uidelicet controuersiæ in ea prouincia iudicari ac finiri debeāt, ubi primùm exortæ sunt. Vide Epistolam Cypriani 3 lib. 1. cuius Canonis etiam rationes non paucas illæ ueteres synodi cōmemorare sunt solitæ: præsertim autem, quòd uera ac plena cognitio causæ optimè ibi, ubi exorta est, fieri haberiq; possint.

Nec tantum ob uetustissimum Ecclesiæ Dei Canonē, plurimis

concilijs

concilijs comprobatum, & decretum totius Imperij, talem synodi locum lex ac ius flagitat: sed etiam ob alias multas ac grauissimas circunstantias. Nam & amplissima omnium Christianarum pro uinciarũ Germania est, & reuera in medio totius Christianitatis (ut quidẽ nunc Christianismus protenditur) ut huc cõmodissimè Vngari, Poloni, Sueci, Dani, Angli, Scoti, Galli, Hispani & Itali uenire queant. Et plurimi potentissimiq; Episcopi ac Principes sunt in ea, qui ad talem synodum nunc necessariò conuenire deberẽt. In ea porrò Cæsar plerunq; agit, quẽ etiã interesse utilissimũ esset.

Nam ut Papæ in hac parte ratio habeatur, nũ uidetur esse opus: qui nec ad eam quidem, quæ ipsi longè propius Tridenti simulatur aut agitur, uenire dignatur.

Huc adde, quòd nulla regio magis tum domi natis necessarijs rebus abundat, tum etiam tam commodè ad importãdum omnia, item ad profectiones ueniẽtibus & abeũtibus patet. Nulla quoq; perinde multis amplisq; ciuitatibus est ornata, nulla passim tam salubri aere fruitur, nulla perinde libera est, nulla deniq; ob hominum simplicitatem ac synceritatem minus fraudibus, insidijs & uenenis obnoxia.

Inter alias conditiones & illud cõputetur, quòd proceres Germaniæ ac uicini multum magnumq; etiam nobilium ac doctorum famulitium, cùm ob dignitatem, tum etiam necessitatem sui tam ampli regiminis, multasq; alias causas secum trahunt.

Deniq; & illud longè grauissimum est, quod etiam de suis regionibus ac statibus meritò soliciti sunt, tum ob metum hostium, tum ob domesticas lites ac controuersias: ob quas necessariò impediũtur, ne longius proficiscantur. Contrà autem Episcopi Italici & Hispanici, uix tres aut quatuor Comites familiares'ue habent: nec suis ditionibus, quas plerunq; nullas habent, timere, aut ob earum regimen illis propius hærere coguntur.

Hæ & similes grauissimæ causæ, quas nostri Doctores & Gubernatores in suis publicis scriptis sæpè prolixius recensuerunt, omnino optimo iure postulant, ut synodus, secundum tot unanimia Imperij decreta, in Germania celebretur. Quare etiam proximè duæ synodi, aliquãto iustius dictæ Vniuersales, Cõstantiẽsis ac Basi=

ac Basiliensis, sicut in Germania celebratæ omnium commodo, & citra ullius querelam.

Contrà, uerò, oppidum Tridentum nec in Germania, nec in uicinia Germaniæ est: utpote quæ à finibus Germaniæ integræ hebdomadæ itinere distet, & lingua prorsus peregrina utatur, Quare decreto Imperij, necessariò ex locis pro synodo deligendis exclusa est.

Habet preterea ea ciuitas plurima ac molestissima incommoda, ob quæ nullo modo synodo conuenit. Nam minor est, quàm quæ magnam copiam hominum, præsertim nobilium, potentum ac literatorum, qui aliquanto amplioribus & commodioribus mansionibus indigent, hospitio excipere posit.

Constantiæ in synodo scribũtur plerunq; fuisse ad triginta millia hominum. At ubi Tridenti, in tam angusto loco, uel quarta eorum pars agere posset?

Præterea est locus æstate, ob radiorum solis summam congregationẽ & refractionem, feruentissimus: Contrà autem hyeme, ob Alpiũ, in quibus ea ciuitas sita est, perpetuas niues, uentos, exhalationes præterfluentis fluminis, ac frigora, frigidissimus. Loca circũquaq; sunt sterilia, importatio ob uiarũ incõmoditatem & longinquitatem est difficillima. Quare breui, si quæ magna hominum copia ibi esset, tum peste, tum fame laboraretur. Certè, ut nihil aliud incommodi accideret, ingens annonæ caritas oriretur.

Eadem ratio uiarum asperrimarũ inter Alpes, etiam maximam difficultatem accedendi & abeundi, omnibus ad synodum conuocatis, aut alioqui conuenientibus, necessariò pareret.

Quod uerò tum decretum sit sæpius in Imperialibus Comitijs, ut intra Germaniæ fines concilium celebretur, idq; decretum omnino seruari oportuerit: tum Tridẽtum non sit in Germania: testantur Episcopi Germanici in sua edita Epistola, quæ anno 1547 Augustæ in Comitijs ad Papam est scripta, cuius locum prolixũ huc amplioris fidei causa transcribemus. Hæc enim sunt eorum uerba:

Qua quidem in re, beatissime pater, cum nos pro officio ac fide nostra erga Rempublicam Ecclesiasticam, 'proq; obseruantia ea quam debemus, ac libenter deferimus sedi Apostolicæ, multis con

uentibus actis illud semper iudicauerimus, non posse tantorum malorum causam terminari, nec restingui incendium, nisi uniuersalis concilij iudicio ac autoritate: summo consensu ac studio non semel egimus apud Cæsareã Maiest. quam pro se propensam tamen, nostraq; studia anteuertentem semper offẽdimus: ut pro Imperiali autoritate & nomine, instaret apud S. V. de indicendo celebrandoq; in aliquo opportuno loco Germaniæ, cõcilio, non equidem ad rationem uicinitatis, priuatamq; conditionem nostram: sed ut obiri is conuentus, ac frequentari posset ab ijs, quorum maximè interesset, qui cum præter Episcopatus suos, tenerent etiam sæcularium ditionum gubernacula, in hac temporum perturbatione, incertoq; rerum statu, longè abesse à domo, atq; emanere, sine publicæ pacis periculo non possunt.

Et hac sedula, omnibusq; Cõuentibus repetita flagitatione, eò usq; profectum est, ut post irritam Mantuanæ & Vincentinæ synodi indictionem, longè satis, sed heu nimis longo interuallo, ac penè fessis Germaniæ rebus, indictũ sit Tridentinum concilium: nec indictum modò, sed etiam inchoatum, magno quidem uoto & expectatione omnium: sed NON (ut flagitatum erat) INTRA FINES Germaniæ (RES QVE ipsa POSCEBAT:) sed in Tridentino oppido, LONGE interiectis Alpium montibus, ut uerius in Italiæ finibus, quàm intra Germaniæ oram cõstitutum esse uideatur. Quæ sanè etiam causa fuit, beatissime pater, quòd pauci admodũ ex nostris, ac NVLLI penè eam obire synodum, ac ne nuncios quidem suos mittere potuerint, præsertim ardente bello maximo. Hæc Episcopi.

Eodem modo & ipsemet Papa testatur in suo impresso Responso ad prædictam Epistolam, Tridentum esse admodum incommodam synodo, & hominibus ad synodum conuenturis. Hæc enim eius uerba sunt: Cum etiam diuturnior in ea urbe cõmoratio, Episcopis sine dubio VALDE INCOMMODA futura sit: æquum esset quod in Germanicis uestris conuentibus fieri solet, tempus quoddam ei peragendo præstituere, &c.

Idem Pontifex etiam in alio edito scripto, quo protestationi Cæsareæ Maiest. respondet, affirmat Tridentum nõ perinde commodum

dum esse synodo,ut plurimas alias ciuitates. Verba eius sunt hæc: Præsertim cum hoc constet,etiam ut satis opportuna sit Tridentina ciuitas,tamen commoditate loci & abũdantia omnium rerum quæ celebratione concilij sunt necessariæ,has urbes Tridentinam LONGE superare.

En hic habes Christiane Lector,ipsiusmet tricoronati istorum semidei,eiusq; Episcoporum euidentissima testimonia,quibus seriò affirmãt, testantur & protestantur,Tridentum non esse in Germania,nec alioqui synodo celebrandæ ullo modo satis idoneam: & deniq; non esse in celebratione istius Cõuenticuli obseruatum decretum,toties unanimiter à toto Imperio in comitijs, præsentibus etiam Papæ legatis,conclusum,quo statuitur & inuiolabiliter sancitur,ut omnino synodus de præsentibus controuersijs iudicatura,in aliqua ciuitate Germaniæ celebretur.

Testatur sanè etiam ipsa Cæs. Maiest.in sua Protestatione, Papa aliquoties in incommodis locis synodos indixisse:idq; contra sacros Canones esse,qui iubeant synodos & iudicia Ecclesiæ fieri intra terminos eius regionis,ubi lites exortæ sunt.Hæc enim sunt eius uerba:Quas quidem ob causas à S.V.primùm Mantuã, postremò Vincentiam conuocatum est generale Concilium: sed harum ciuitatum neutra satis apta fuit,in qua diuersarum & multarũ prouinciarum homines libenter simul & commodè cõuenirent:Germani præsertim,quibus iustis & grauibus de causis, eò proficisci non licebat. Et mox de Tridento, & translatione Bononiensi inquit:Quam translationem si fieri oportebat (scilicet è Tridento)fuerant Sacrorum conciliorum decreta seruanda,ne discederetur à terminis eius regionis:eligẽdus erat IN GERMANIA locus PROPINQVIOR & OPPORTVNIOR:atq; ob id maximè fieri oportebat,ut,de quorum causa præcipuè agebatur, Germani tutò possent ad concilium uenire:quod proculdubio fecissent, omnibus non ueniendi subterfugijs, impedimentis & difficultatibus sublatis,&c.

Liquidò ergo necessarioq; hinc sequitur ac probatur, Conuentum Tridentinum non posse ulla ratione legitimam synodum dici, ob uiolata publica ac sacrosancta ea de re decreta,& summam

loci oppidi'ue illius incommoditatem.

Hæc nunc dixiſſe ſufficiat, ad demonſtrandum, quòd iſtud conciliabulum nõ ſit legitimum: tametſi & alia plurima eòdem referri poſſent. Nunc de eo dicemus, quã multis de cauſis iſtud Concilium non ſit, nec ullo modo uerè dici poſsit, liberum.

Quòd non ſit libera ſynodus.

Oſtendimus ſuprà, Conuenticulum iſtud & conuocatum eſſe à Romano Pontifice, & regi, eum'ue illi præſidere, & ibi omnia pro arbitrio regere ac gubernare. At is eſt uel maximè, de quo iudicari, tanquam maximorum criminum reo, oportet. Quæ ergo libertas eſſe ibi poterit, ubi pars rea & aduocat, ac deligit iudices pro arbitrio, & agit omnia pro libitu, admittens quem, quando, & quomodo, ac coram quibus uult, ad agendam dicendam'ue cauſam? Nec ille enim contentus eſt obtinere aliquam tenuẽ præſidentiam aut gubernationem, cuiuſmodi enim Cæſares in ſynodis habuerunt: qui tantum cõmmunem externamq́; pacem & ordinem cuſtodiri fecerunt, actionesq́; direxerunt.

Hiſce porrò adijce innumera penè alia, omnem libertatem tali ſynodo adimentia: ut quòd intra tam remotas ac periculoſas anguſtias, ueluti in carcere quodam, id oppidum concluſum eſt. Multæ ſunt in illis uijs tam periculoſæ anguſtiæ, ut tres aut quatuor audaces latrunculi, ex inſidijs, poſsint quemuis magnatem, uel centum ſtipulatoribus munitum iugulare: & per notas rupes, montes, ſyluas, aut alia præcipitia ac uoragines euadere, fruſtra eius equitibus imminentes montes ac rupes abrutaq́; præcipitia ſpectantibus.

Eſt præterea ea ciuitas iam Cardinali (qui ſummis ac inauditis iuramentis Papæ addictus deuotusq́; eſt) ſubiectiſsima: quo improbante, quis uel mutire quicquam ibi auſit? aut ſi audeat, quomodo eius manus euadere queat? Quare noſtri eò uenientes, planè in ipſius pontificis carcere concluſi dici poterunt.

Nec eſt quòd quiſquam nobis magnam ſpem de eorum ſaluis cõductibus aut publica fide facere poſsit: cum illorum hominum ſit proprium, non longius ſeruare fidem, quàm ſuis rebus utili eſſe iudicent. Adde quòd Conſtantiæ iam etiam publico ſolenniq́; decreto ſanxerunt, fidem hæreticis ſeruandam non eſſe. Nos uero

esse hæreticos, iamdudum illi statuerunt, & publicis scriptis pronunciarunt. Quare non tantum perfidia eorum, sed etiam decretum & confirmatum ius ipsorum timendum est. Nulla ergo libertas ratione loci & gubernatorum, in tali synodo nobis esset.

Debet uerò locus, ut iura statuunt, non tantum personis, sed & causis, liber tutusque modis omnibus esse, Quin etiam pronunciant Iura, neminem teneri suo hosti, eius'ue saluo conductui credere.

Porrò autem, ratione personarum etiam minus libera est ista synodus. Nam plerique omnes ibi congregati, præsertim autem Episcopi, sunt tam arctis iuramentis, uel potius diris execrationibus Pontifici addicti, ut (sicut Æneas Syluius, postea Pius II. nominatus, in quadam Epistola ad capitulum Monguntinum, teste appendice Vrspergensis, scripsit) etiam uera dicere contra Papam, sit contra eorum obligationem ac iuramentum. quod & ipsa iuramenti formula clarè contestatur. Id quod, ut tanto clarius & certius quiuis intelligat, ipsa uerba iuramenti adscribam: In qua formula illud quoque inprimis obseruatu dignum est, quod adeò sit recens hoc Pontificiæ tyrannidis uinculum aut iugum, ut nec in paulò uetustioribus Agendis, aut Episcoporum consecrationibus reperiatur: in quibus Episcopi consecrandi prorsus nihil sese Papæ obligant, sed tantum suis prouincialibus Episcopis: nec etiam in ipso Decreto, ubi tamen prolixissimè amplius per 25. distinctiones, de electione, ordinatione & omni iure ac negotijs Episcoporum plenissimè agitur. Verùm quid obfuerit integrè totã formulam adscribere, quo res tanto planius cognoscatur? Ea autem sic habet.

Formula iuramenti, quo omnes Episcopi Papistici sese obstringunt Romano Pontifici. Attendite singula uerba diligenter, nam hi & hoc modo captiuati ad dicendam sententiam, ad Concilium uocantur.

EGo electus Episcopus, ab hac hora in antea fidelis ero & obediens beato Petro, sanctæque Romanæ Apostolicę Ecclesiæ, & Domino nostro domino Iulio Papæ III, suisque successoribus ca-

nonicè intrantibus. Non ero in concilio aut consessu uel facto, ut uitam perdant aut membrum, seu capiantur aut in eos uiolenter manus quomodo libet ingerantur, uel iniuriæ aliquæ inferantur, quouis quæsito colore. Consilium uerò quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios, aut literas ad eorũ damnum, me sciente, nemini pandam. Papatũ Rom. & Regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum & defendẽdum, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo: iura, honores, priuilegia & autoritatem Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ & successorum prędictorum conseruare, defendere, augere & promouere curabo. Nec ero in concilio, in facto seu in tractatu, in quibus contra Dominum nostrum, uel Romanam Ecclesiam aliqua sinistra siue prędudicialia personarum iuris, honoris, status & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibusdam tractari cognouero, aut procurari, impediam hoc pro posse: & quantocyus potero, commodè significabo eidem Domino nostro, uel alteri, per quem ad ipsius notitiam posit peruenire. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones, & mandata Apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos, Schismaticos & rebelles, Domino nostro uel successoribus nostris prædictis pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad synodum, ueniam.

Hæc quidem formula nimium seruilis, aut potius extremè impia est: sed tamen intelligimus, hoc tempore etiam multo arctiores & grauiores obligatorij iuramenti formulas Episcopis obtrudi, ut nempe disertè nostram Religionem damnare, eiusq́ persequutionem promittere cogantur.

Hoc iuramentum adeò non uult Pontifex Romanus istis synodi patribus aut iudicibus ullo modo remittere aut relaxare, ut, cùm in Comitijs Norinbergensibus Anno 1524. id ab eo Imperium peteret, ac ostenderet id necessariò ad libertatem synodi requiri: responderit ille per suum legatum Cheregatum, non admissurum se, ut sibi ita manus colligẽtur. Historia est cum reliquis eius Dietæ actis, in Fasciculo rerum sciendarum Coloniæ impresso.

Hoc

Hoc idem & postea est à Protestantibus Augustæ & Tridenti sæpius, sed planè frustra, flagitatum.

Hinc igitur liquidò cernimus, qualem'nam libertatem Papa in synodo esse ac uigere uelit: nempe, ubi sibi soli ita sint liberæ manus, ut quicquid modò uelit, agere posit: contrà autem alij omnes, præsertim iudicaturi Episcopi, adeò sint ipsi obligati, obstricti & penitus deuoti, ut nec uerum quidem illis contra Pontificem mutire liceat. Qualis tandem ista libertas est?

Vt uerò maximè non essent Episcopi, alijq; spirituales in synodo congregandi, aut congregati, Papæ ullis iuramentis obstricti: tamen omnes ipsi sciũt, cunctas spes opesq; suas, atq; adeò etiam famam & uitam suam de Pontificis arbitrio nutuq; pendere: ut quamprimum modò illi collibeat, eos, ubicunq; demum gentium agant, suis dignitatibus ac reditibus spoliare, excommunicare, atque adeò etiam publicis proscriptionibus prorsus perdere posit: quippe à cuius fraudibus ac furoribus, nec ipsi quidem principes Reges, gentes aut monarchæ satis tuti sint.

Plurimi etiam sunt ex illis bicornibus cõcilij patribus perpetuò in aula Pontificis agentes, plurimi ibi certa munia ac reditus habent, Multi etiam Tridentini concilio Pontificis sumptibus uictitant. Quis autem dubitet, tales (ut uulgò dici solet) eius cantilenam cantaturos, cuius panem edant?

Qualis ergo libertas dicendæ sententiæ, istis beatissimis Patribus aut filijs, in isto conuenticulo relinquitur? Talem sanè libertatem & equus freno & calcaribus potenter à sessore agitatus, & miserum mancipium coram Turcico tyranno in catenis stans, agendi habet.

Quod pleriq; Episcopi Tridenti in synodo congregati, prorsus uel seruiliter, uel etiam factiosè Pontifici addicti fuerint, testata est id ipsamet etiam Cæs. M. in sua edita Protestatione anno 1547, tum illis conciliaribus patribus Bononiæ, quò in gratiam sui patris Papæ profugerant: tum etiam ipsimet sanctissimo, eiusq; toti collegio Romæ proposita, ac opposita. cuius hæc sunt uerba:

Ego Iacobus Hurtadus Mendoza, nomine pientissimi & inuictissimi Domini mei Caroli Cæsaris, Romani Imperatoris, ex illius

lius speciali mãdato, ac nomine totius sacri Romani Imperij, alio- rumq; regnorum ac dominiorum suorum protestor, Nullam pos- se esse autoritatem assertorum legatorum S. V. & eorum Episco- porum, qui Bononiæ sunt, sanctitati uestrę maiori ex parte obno- xiorum, atq; ab ILLIVS NVTV OMNINO PENDENTIVM, ut in Religionis & morum reformationis causa tanti momenti ne gotio uniuersæ Reip. Christianæ, eiq; prouinciæ, præsertim cuius mores & instituta parum eis nota legem præscribant. Præterea eiusdem inuictissimi Romani Imperatoris semper Augusti nomi- ne & speciali mandato, prout suprà, protestor atq; DENVNCIO, sanctitatis uestræ Responsionem illegitimam, præsenti negotio & necessitati ineptam & inconuenientem, suco & figmentis ple- nam, ac prorsus delusoriam fuisse & esse, nulloq; iure nullaq; ra- tione subsistere. Protestor præterea, omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, adhæc diuisiones & scandala in Ecclesia Dei, & Religionis pericula atque Rei- publicæ Christianæ detrimenta, quæ inde euenire atque eue- niunt & possunt contingere, uestræ beatitudini, non sibi impu- tanda, &c.

Quam grauissimam accusationem hisce uerbis postea Papa in sua impressa Respõsione repetit: Dicis, prelatos quosdam obno- xios & addictos nomini sanctitatis suæ hoc fecisse. Quid uerò tu Domine Orator? an & hoc accusas, quòd sunt addicti? Si illos laudes, qui Tridenti manserunt, quòd nomini Pontificio non sunt addicti? At uides quale periculum inde timeri poterit. Nec enim schisma ex alia re nasci solet, quàm ex eis prelatis, qui nomini Pon- tificis Romani minus sunt addicti. Si uerò addictos intelligis fa- ctiosos quosdam, qui partes Sanctitatis suæ iure uel iniuria defen dere uelint: tales quidem sua Sanctitas nullos cognoscit, quia par tes suas nullas proprias agnoscat, præter eas quæ sunt patris erga filios, & pastoris erga gregem.

Eodem planè modo & Rex Galliæ Henricus, contra posterius (ut ita iam dicamus) fragmentum, aut secundam instaurationem huius conciliabuli, Anno 1551, protestatus est Romæ, Tridenti, & publicè in Gallijs lecto & edito scripto, quòd illud conuenti-

culum

culum non ſit Chriſtianum, legitimum aut liberum concilium.

Quia primùm bellum atrox eodem tempore ſit à Papa excitatum, ut uim quibus uelit adhibere, omniaque pro uoto efficere poſsit. Deinde, quia Patres illius conciliabuli ſint Pontifici addicti. Et denique, quia conuentus ille non publici boni utilitatis'ue, ſed priuati tantum quorundam commodi gratia ſit inſtitutus.

Ad amplioris autem fidei certitudinem, adſcribemus ſummas ac narrationes earum actionum & ſcriptionum ex Sleidano: quandoquidem ipſa ſcripta, quantumuis ſint publicè edita, iam ad manum non habemus. Verba eius ſunt hæc:

Facto igitur in æde primaria conuentu (ſeſsionem ipſi uocant) prima die Septembris, & peracta Miſſa, reliquiſque ceremonijs, quæ ſolent initio fieri, confectis, aderat ex improuiſo Galliæ Regis orator, Abbas Belloſanus, cum literis, quæ ad conuentum Tridentinum erant inſcriptæ. Eas ubi reddidit legato Pontificis, inſcriptione lecta, cœptum eſt diſceptari, cur Conuentum potius quàm Concilium appellet: Non eſſe recipiendas eas literas, neque legendas, niſi mandatum habere ſe demonſtret. Cumque tumultuoſus admodum eſſet excitatus clamor, ab Hiſpanis præſertim Epiſcopis, ac ille diceret, literis comprehendi mandatum: legatus Pontificius conſurgit, & in ſacrarium templi ſeuocat Patres. Re diſputata, quòd in bonam partem accipi poſſet inſcriptio, placuit, illum eſſe audiendum. Lectis itaque literis priuatim, quibus & dolorem ſuum Rex, & iniuriam ſibi factam breuiter ſignificabat, & fidem haberi legato poſtulabat: denuò conſederunt omnes, & tum palàm recitatis literis reſpondent: Quòd conuentus nomine concilium denotet Rex, in bonam ab ipſis accipi partem: neque uelle ſiniſtri quicquam de tanto Rege, qui Chriſtianiſsimi cognomen obtineat, ſuſpicari. Sin autem alia ſit ipſius mens atque uoluntas, tum literas illas habere ſe pro non ſcriptis. Deinde iuſſus eſt exponere mandata. Tum ille prolixam orationem de ſcripto recitat: & principiò, quid per oratorem ſuum Paulum Thermum egerit cum Pontifice & Cardinalium Senatu Rex, cōmemorat: ijs rebus omnibus, cū tamen ad pacem aditus omnes aperuiſſet, nihil quicquam profeciſſe; & Iulium Pontificem, qui maiorum exem-

plo controuersias Principum minuere debebat, longè maximum excitasse dicit incendium, quo minimè omnium oportuit tempore, quando uidelicet Reipub. Christianæ status uehementer sit afflictus. Quod cum ita sit,& quoniam ille tam asperè tamq; implacatè secum agat,qui sit natu maximus Ecclesiæ filius: protestatur, sicut Romæ quoq; factum esse dicit, Primùm, ob grauissimos bellorum motus non sibi licere, nec integrum esse, suæ ditionis episcopos mittere Tridentum. Deinde, non habere se concilium hoc pro publico seu generali, sed magis pro conuentu quodam priuato, qui sit non Reipub. sed paucorum aliquot compendij & utilitatis causa institutus. Deniq;, decretis illius neque se, neque sui regni quenquam posse teneri: quinetiam adhibitum ea se remedia demonstrat, si res ita ferat, quibus in consimili causa sui maiores uti consueuerint. Et paulo pòst: Iulium uerò longè aliam rationem sequi: & indicto nuper concilio, ualdè quidem Reipublicę necessario,bellum in se concitasse,nimirum consultò, ut Gallicanam Ecclesiam, quæ sit ex præcipuis una, totam excludat, ne uidelicet concilium haberi posſit legitimum, in quo tum procerum, tum administrorum Ecclesiæ corrigantur errores, ac emendentur uitia. Fuit hoc Regis edictum publicè recitatum Lutetiæ,septima die Septembris. Hæc Sleidanus.

Ecce hoc modo summi Monarchę tunc solenniter suo suorumq; regnorum nomine istius Tridentini conciliabuli,lacera fragmenta aut partes damnârunt.Quo ergo iure nunc eorum successores poterunt istam detestatam Chimeram mutilorum conuenticulorum comprobare, aut etiam uiolenter (ut quidam minantur) exequi? Verùm de hac re postea clarius & plenius, Deo uolente,suo loco agetur.

De Rege Anglię nunc nihil dicemus,cuius duo publica scripta extant, contra ista factiosa & impia Papæ conciliabula: quæ legat Christianus Lector, ut in ueritate istius negotij tanto magis confirmetur.

Porrò etiamsi nec iuramentis,nec ullo metu aut periculo essent isti conuocati patres Romano Antichristo obstricti: tamen etiam eo nomine istud conciliabulum liberum esse censeriq; minimè

posset,

posset, quòd ipsimet isti iudices sint uel maximè, unà cum suo beatissimo Patre, summorum criminum rei: de quorum grauissimis sceleribus, hæresi, simonia, turpitudine uitæ, extrema officij Episcopalis neglectione, de diminuendis opibus, ocio, uoluptatibus, & tota reliqua uitæ licentia & fœditate, omnino in libera synodo grauissime agi, & seuerissimè iudicari statuiq; deberet.

Nemo uerò, quantumuis alioqui incorruptus ac integer, præsumitur in sua causa esse uerus & incorruptus iudex. Nemo etiam, saluo iure, simul aut reus aut actor & iudex esse potest.

Suo ergo proprio, carnali tamen damno ac periculo, suoq; interesse permoti, nos ac ueritatis causam cõtra omne ius ac fas, contra omnem libertatem tantis controuersijs necessariam, damnarent, ut & iam non obscurè fecerunt.

Nec id nos tantum de iure, & quadam eorũ uoluntatis animiq; diuinatione disserimus: sed ipsam uiuam experientiam considerari, & quasi manibus palpari cupimus, quò tanto rectius iuri, religioni ac ueritati prospici queat.

Iam amplius annos 500. tanta fuit corruptio morum aut prophanitas, tamq; uarij abusus, simoniç & aliorum infinitorum scandalorum sentina, non tantum in aula Romana (ubi tamen præcipuè istæ pestes regnant) sed etiam in toto clero, ut non solum D. Bernhardus & alij boni uiri ea grauissimè deplorauerint, & accusauerint, sed etiam ipsimet Pontifices, Episcopi, & reliqui clerici, saltem in speciem, & causa imponendi miseris Laicis, Regibus ac Cæsaribus, totiq; orbi Christiano suas turpitudines confessi sint, finxerint, se de illis seriò dolere: & denique astutè simulauerint, se illa uelle primo quoque tempore præclarè corrigere ac emendare.

Quinetiam uarias, & penè innumeras reformationum formulas, ad eum usum hisce proximis aliquot sæculis conscripserunt. Quarum multæ sunt quoque impressæ, multò uerò plures passim in manuscriptis libris reperiuntur. Nonnullæ fuerunt etiam in publicis conuentibus, ac in generalibus synodis (ut ipsi eas uocitarunt) propositæ, imò etiam solenniter confirmatæ, publicè toti clero Ecclesiæq; propositæ, seuerìterq; demandatæ.

Verùm adeò parum ab illis ipsis mitratis patribus sunt obseruatæ, ut quotidie ultra omnem modum totius cleri deformitas, licentia, turpitudo, ac tyrannis, religionisq; ac Ecclesiæ uastatio in deterius progressa sit, ac planè in infinitum excreuerit. Quid ergo isti propudiosæ Babyloniorum Bestiæ, perpetuò ac propalàm in suis lustris & lupanaribus iacenti, & se aliosq;, atque adeò totum orbem terrarum suo aureo abominationum poculo horribiliter contaminanti, tribuere queas?

Vt autem taceamus uetera, expendatur uel illud unum. In Comitijs Imperij, Noribergę Anno 1523, celebratis, fassus est Rom. Pontifex Hadrianus per suum Legatum Cheregatum, omnium præsentium malorum & scandalorum fontem & caput esse ipsosmet Pontifices, sedem & aulam Romanam, quæ prorsus à recta uia deuiauerit. Verba eius sunt hæc: Scimus in hac sancta sede aliquot iam annis *multa abominanda* fuisse, *abusus* in *spiritualibus*, *excessus* in mandatis, & *omnia* denique in *peruersum* mutata. Nec mirum, si *ægritudo* à *capite* in membra, à *summis Pontificibus* in alios *prælatos* descenderit. *Omnes* nos (scilicet prælati Ecclesiastici) *declinauimus*, unusquisque in uias suas, *nec* fuit *iamdiu*, *qui* faceret *bonum*, non fuit *usque* ad *unum*. Quamobrem necesse est, ut *Omnes* demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei: Videatq; unusquisque nostrûm, unde exciderit: & se potius quilibet iudicet, quàm à Deo in uirga furoris sui iudicari uelit.

Qua in re, quod ad nos pertinet, pollíceberis, nos *omnem* operam adhibituros, ut *primùm curia* hęc, *unde* fortè *omne* hoc malum processit, *reformetur*: ut sicut inde corruptio in *omnes* inferiores emanauit, ita esset ab eadem *sanitas* & reformatio omnium emânet. Ad quod procurandum nos tanto *arctius* obligatos reputamus, quanto *uniuersum* mundum huiusmodi *reformationem* auidius desiderare uidemus.

En habes confessionem summi, sanctissimi & (si dijs placet) optimi maximi Pontificis, quòd in illa sua sede & præcessoribus Papis sint, fuerintq; antea multa abominanda, quòd omnia ibi sint in peruersum mutata, quòd omnes ipsi declinauerint in uias suas, nec iam diu fuerit qui faceret bonum: quòd à summo Pontifice

& curia

& curia omnia præsentia mala emanauerint. Cur autem tandem non emendant, aut hisce iam 40 annis non emendârunt illas suas tot & tantas abominationes, abusus & scandala suæ sedis, & omnium pseudospiritualium?

Quo tandem loco, ô Christiane Lector, aut honore digni sunt tales Patres, aut quo iure eis iudicium ac reformatio Ecclesiæ Dei concreditur, cum in tam horrendo cœno satanæ iacere, sordescere & fœtere scientes, uolentes ac confitentes pergant?

Proposita sunt ei tunc etiam ab Imperij statibus unanimi consensu amplius 100 grauamina seu importabilia onera, quibus imperium ac Ecclesias Germanicas ipse & sui affligerant, petitumque ut ea emendaret. Verùm illi adeò nihil correxerunt in sua tyrannide, prauis moribus & reliquis abusibus, hisce ab eo tempore 40 elapsis annis, ut quotidie omnia longè deteriora reddiderint.

Iam cum se adeò iactẽt publici boni, omnisque honestatis ac pietatis studiosos esse, ut cõquiescere non possint donec Ecclesiam repurgent & reforment: si nos tanquam peruicaces & suæ sanctitati inobedientes reformare & sanare omnino nõ possunt: cur suas sanctissimas sanctitates non emendant ac sanant?

Promiserat tunc Pontifex, se omnino emendaturum illas suæ Sedis & aulæ enormitates, quas eum confessum fuisse eius uerbis ostendimus: sed quoniam (uerba ipsius sunt) inueteratum malum sit, sensim & pedetentim progrediendum in re tanta esse, quia omnes subitæ mutationes sint periculosè. Lutherus igitur P.M. qui probè eorum nequitias callebat, cum totam eam actionem ederet scholijs illustratam, adiecerat, uocem PEDETENTIM ita intelligẽdam esse, ut cẽtum millia annorum inter singulos pedes aut passus intercederent: uolens indicare, nunquam Papam semet reformaturum esse.

Sed accipiamus propius exemplum, aut experimẽtum istorum ingenij ac studij sanandi corrigẽdi'ue suas abominationes. Initio istius ipsius conciliabuli, ante annos 17, Patres isti confitentes primarium & maximè necessarium officium Episcopi esse, prædicare uerbum Dei populo, quod iam longissimo tempore ab eis neglectum esset: decernunt, serioque mandare se dicũt, ut in posterum

omnes eam suæ functionis partem diligentissimè obeat. At quis illorum ipsorum Episcoporum domum reuersus, plebi suæ est cō- cionatus? Quis istis 17 annis tali decreto obtemperauit?

Ad simulationem ergo tātùm, ac imposturā, aut potius delusio nē plebis Christi talia decernūt, & publicè proponunt ac ostentāt.

Prouerbio dici solet, Medice cura teipsum. Et, Turpe est docto ri cum culpa redarguit ipsum. Ejiciant igitur isti prius de suo ocu- lo, agnitā hisce annis 500 plus millies, ut dictum est, & proprio o- re confessam & professam trabem: postea etiam ex oculo proximi facilius & felicius festucam ejicient. Qualis enim tandem recta re formatio institui poterit, si ipsimet spirituales, qui debebant esse in Ecclesia fons omnis ueræ cognitionis, pietatis & honestatis, tales esse perseuerabunt, quales iam fermè totos 600 annos extiterunt?

Tales cum sint futuri, imò iam existant conuocatores, præsiden tes aut gubernatores, & deniq; tota turba iudicum istius concilia- buli, quid tandem ibi libertatis uel grauissimæ Religionis contro- uersiæ, de quibus ibi agendum est, uel nos earum confessores, uel ipse demū Christus ac eius Sacrosanctū uerbum habere poterūt?

Etsi autē adhuc magis ratione, quàm ipsa experientia, aut cōper to usu factis'ue (de quibus postea clarius agetur) de isto concilia bulo disserimus: tamen cum nunc de libertate eius agatur, conside- retur iterum atq; iterum, quid minus liberum dici possit, quā istud iudicium, ubi simul contra alteram partem mox initio institutæ iu dicialis actionis, atrox bellum mouetur. Atqui id factum esse con- tra nos, nostrasq; Ecclesias anno 1545 .hisce ipsorū editis testimo- nijs liquidò probatur. Sic enim Cæs. Maiesta. in sua Protestatione dicit.

Post aliquot dies iterū à S.V. missi sedis Apostolicæ legati, Car dinalis reuerendus de Monte, reuerēdus sanctæ Crucis, & iterum reuerendus Polus: rursus Oratores, Ego Iacobus Mendoza, & illu stris uir Franciscus Toledo absens, accesserunt nonnulli aliorum Principum itidem Oratores, nonnulli erant in itinere, multarum nationum Episcopi etiam ab ultimis terris conuenere magna impensa: magno labore inchoatū est & petitum ab omnibus Chri stianis concilium, & causa Religionis & reformationis morum in

eo tractari cœpta. EODEM quoque TEMPORE bellum (nota bene) Eodem quoque tempore bellum aduersus hostes & Sacri Imperij uiolatores Imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum TVENDAE & amplificandæ religionis, idque INTERVENIENTE S.V. ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poteramus, ARMIS COGEREMVS. Cùm res essent in hoc statu, cœpto, ut dixi, Religionis negotio, causa morum, &c.

Idem planè testatur ipse quoque Papa in suo Responso, se eodem tempore, & concilium incepisse, & armis nostras Ecclesias ac politias inuasisse. Hæc enim eius uerba sunt: Nulli Principi me socium belli adiunxi, præterquam ipsi Cæsari, in eo bello quod uidebatur maximè uiam munire celebrando concilio (obserua Christianæ Lector, quomodo Antichristus Romanus sua concilia instituat, & uiam ad ea Christi confessoribus communiat, ut scilicet simul eademque tempore, alios quidē suæ factionis homines cōciliabulum inchoare, alios uerò cruentis armis eos, cum quibus in concilio litigandum est, immaniter inuadere iubeat) Et, ut tu domine Orator rectè dixisti, ut quod ratione suaderi sibi non permitterent, ut Sacro|concilio obedirent, ui cogerentur.

Eandem Christianissimā concilij inchoationem, aut uiæ ad celebrandum liberum concilium pientissimam (ut ille uocat) cōmunitionem à se factam, confitetur idem Pontifex in edito responso, ad sæpius nominatam Germanicorum Episcoporum Epistolam. Hæc enim eius uerba sunt: Protestantes tamen nequaquam Tridentum uenturos, eis'ue decretis staturos, credendū est. Quippe qui usque adeò illius concilij autoritatem contempserint, ut cum ad biennium Episcopi illic ferè manserint, non modò ad illud accedere recusauerint, sed & publicis concionibus & libris contumeliosissimis editis, palàm prædicare ausi sint, nequaquam illud liberum & Christianum esse concilium, eiusque decreta se repudiaturos esse renunciauerint: idque incredibili sanè & inaudita uerborum petulantia, propterea quòd ex autoritate nostra illud indictum esset, & ex Ecclesiarum Episcopis congregatum. Quæ quidem eorum pertinacia causam & necessitatem eidem Carolo Imperatori semper Augusto & nobis attulit, ineūdi inter nos sanctiss. fœderis: ut

illos, quando iuris ratiò & lenia remedia nihil proficiebant, armis ad sanitatem redire cogeremus: cuius belli pro Religione suscepti exitus, Dei beneficio cùm secundißimus extiterit, spes est, à Cæsare, quemadmodum summa ipsius prudētia & uirtute dignum est, piū illud & gloriosum opus perfectum & absolutū iri. Hæc Papa.

Verùm Episcopi Germanici adhuc clarius in sua edita ad Pontificem Epistola testantur, quantus armorum furor initio illius conciliabuli, anno 1546 fuerit, grassatusq́ sit. sic enim scribunt: Quæ sanè etiam causa fuit, beatißime Pater, quòd pauci admodum ex nostris, ac nulli penè, eam obire synodū, ac ne nūcios quidem suos mittere potuerint: præsertim ARDENTE BELLO MAXIMO periculosißimoq́ in Germania, quod iam multò antè, ex ijsdē malorū causis, de quibus hîc querimur, impēderat. Cuius tātus TERROR & TREPIDATIO extitit, ut metu periculorū, armorumq́ discursu completa fuerint OMNIA: nullum iter satis tutū, nullus aditus ad Tridentum patuerit.

En audis Christiane Lector, ita tunc fuisse liberum illud concilium, & ita fuisse ad Tridentum tuta itinera, ut nec ipsi quidem Papistici Episcopi ausi sint eò proficisci, aut quenquā omnino committere. Quid putas, quomodo nobis adeò exosis Christi concionatoribus, quos isti contumeliæ causa Lutheranos uocant, tutum liberumq́ illud concilium, aut securæ uiæ in tot Papistas & armorum furores fuissent, patuissent'ue.

Sicut uerò tunc Papa inchoādo concilium, cōtra ius ac fas omnia armis & cædibus cōpleuit, ita & mox omnes Antichristi abominationes mera uiolentia, & planè horrēdis minis ac pœnis sunt nostris Ecclesijs sub titulo libri, INTERIM cōtrarius & fas obtrusæ. An non est hoc, iudiciū ac processum ab executione incipere? Quid attinebat amplius de synodo agi aut dici, in eo'ue præsentes Religionis controuersias dijudicari, si per Antichristi gladios & abominationes statim initio nos nostrasq́ Ecclesias ac Religionem euerti æquum piumq́ erat?

Vt uerò agnoscas sanguinarium Antichristi spiritum, eodem prorsus modo etiam anno 1551, idem conciliabulum instaurādo, illum fecisse, Rex Galliæ in quadā Protestatione, publicè in Con-

sistorio

ſiſtorio Romę corã omnibus Cardinalibus exhibita, hiſce uerbis teſtatur: Se (Regem Galliæ) facere non potuiſſe, quin apud illius ſanctitatem, apud ſacrum Cardinalium Collegium, dolorẽ ſuum exponeret, ac uerè & ex animo conquereretur: illudq; cùm conquerendo, tum precando poſtularet, ne alienum exiſtimarẽt à ſuo aut maiorum ſuorum more, quod deprecaretur quædam: hoc eſt, ut nunc loquimur, Proteſtaretur ipſe: quomodo quidem omnino proteſtatus eſt, ſicut ab ipſo iure ſibi promiſſum eſſe non ignorabat: id eſt, ne ſibi grauiſsimis bellicorum motuũ difficultatibus implicato, neceſſe eſſet Tridentum ad cõcilium mittere ſuæ ditionis Epiſcopos: quippe quibus nec liber nec tutus eò pateret acceſſus: ne'ue ad ipſum concilium, à quo excluderetur inuitus, tale quale totius Eccleſiæ Catholicæ aut haberetur aut appellaretur: quia potius priuatum exiſtimaretur conciliũ, quòd uideretur illud quidem quæſitum & expeditum non reformandæ reſtituendæq; diſciplinæ, nec ſectas opprimendi ſtudio, ſed quibuſdam obſequendi: quodq; priuatæ utilitatis magis quàm publica ratio habita eſſe uideretur. Deniq; nec cõcilij huiuſmodi eorũ'ue decretis, aut ipſe, aut populus Gallicus, aut ulli Gallicæ Eccleſiæ miniſtri, in poſterũ tenerentur: imò uerò ſe teſtari palàm, ac denunciare, ad eadem ſe remedia ac præſidia deſcenſurum (ſi neceſſe uideatur) quibus maiores ſui Francorũ reges in re conſimili, cauſaſq; uti cõſueuiſſent.

Idem rex in eadem ſua contra iſtud conciliabulũ Proteſtatione, etiam hæc de eius partialitate, ſeruitute ac factioſitate conteſtatur: Italiæ tamen funeſtiſsimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare neceſſe eſſet, noua excitare animorum diſsidia, aditus ad conciliũ omnes præcludere maluiſſe uideretur. Eáq; omnibus ſuſpicionem inducere, iſtam ipſam concilij Tridẽtini indictionem non communis uniuerſæ Eccleſiæ utilitatis gratia repetitam eſſe: ſed factam potius coitionem cum ijs, quorum priuatis rationibus ac commodis illic inſeruiretur, nullo reclamãte, nullo repugnante. Hactenus uerba regis.

Sicut autẽ audiuimus in prima & ſecunda parte, aut (ut ita iã loquamur) fragmento ſynodi, Papam ſimul cum congregatione aut inſtauratione ſui conciliabuli, etiam gladium ſtrinxiſſe, ut quod

Ecclesiæ hostis, tum amplius 300 annis crudelißimè in nostræ doctrinæ homines & Ecclesias sæuijt, antequàm conciliabulũ istud inchoaret: tum & postea inchoans & instaurans istud conciliabulum, integro bello in nos grassatus est, grassariq́; immaniter pergit.

Illud quoq; minimè leue est, quòd contra omnem libertatem cognitionis, iudicij ac synodi, Papa prohibuit, conciliũ instaurans, seuerißimè omnibus prælatis, Episcopis & Archiepiscopis lectionem omnium nostrorum scriptorum. Quomodo enim poßibile est, tales Patres in synodo de præsentibus Religionis controuersijs, nostrarumq́; Ecclesiarum religione iudicare posse? Ne autem quid fingere uideamur, hæc sunt illius Pontificiæ prohibitionis uerba:

Fragmentum desumptum ex Bulla Iulij Papæ III. edita anno eius Pontificatus primo: qua prohibet, ne sui Episcopi nostros libros audeant legere.

QVum igitur diuersi effectus, quàm sperabantur, ex concesſionibus per prædecessores nostros, & per nos uarijs personis, Episcopis & alijs, de legẽdis libris Hæreticorum factis, secuti sint: omnes illas concesſiones reuocantes atq; annullantes, ne in posterum aliquis, cuiuscunq; gradus, status, cõditionis & qualitatis sint, aut quauis dignitate Episcopali, uel Archiepiscopali (nisi sint Hæreticæ prauitatis Inquisitores, durante tantum tempore inquisitionis eorum) dictos libros quouis modo legere, nec apud se publicè uel occultè, domi aut alibi tenere poßint, sub anathematis pœna inhibemus, &c.

Quid hoc aliud est, quàm iubere cæcos de colore iudicare & cæcos præire cæcis? Quis unquam sanæ mentis iusſit aut probauit, iudicem de incognitis iudicare? O fili Dei miserere nostri, & uide plusquàm Diabolicam tyrannidem, qua aduersarius tuus in tuo Sancto templo, contraq́; dilectam sponsam tuam grassatur.

Quòd non sit generalis synodus.

Hæc sufficiat dixisse, ad ostendendum, nullo modo nunc Tridẽti esse liberam ac Christianam synodum: nec posse ibi nos, aut cau-

ſas Chriſti, ullam piam libertatē habere aut ſperare. Nunc conſequenter ope Chriſti, cuius cauſam agimus, demonſtrabimus iſtā ſynodum nequaquam Vniuerſalē aut Oecumenicam dici poſſe:

Primùm enim, non ex toto orbe Chriſtiano conuocantur ad ſynodum: ſed ex quibuſdam tantum locis, pro libitu Papæ. Pleriq; ſanè, qui iam Tridenti ſunt Patres aut Fratres, ſunt Itali: perpauci uerò Hiſpani: Germanici Epiſcopi penè nulli ſunt ibi, uel quia non ſunt ſpeciatim uocati: uel quia nemo ſe libenter in illud ergaſtulum aut carcerem intrudit: præſertim ubi nulla ipſius ſententiæ aut conſcientiæ ratio habetur. Sic nec Poloni, Sueci, Dani aut Angli adſunt: Galli uerò paucisſimi.

Cæterum quia ex diuerſis ueluti fruſtis aut fragmentis diuerſorum temporum iſtud conciliabulum in unum ueluti centonem conſarcinatur, conſideretur quàm nec antea uniuerſale fuerit. Initio eius, nempe anno 1545, 46 & 47, cum præcipua decreta facta ſunt, nulli prorſus Germanici Epiſcopi ei interfuerūt: quod & ipſimet Epiſcopi in ſua illa impreſſa Epiſtola, & Papa in ſuo Reſponſo (de quibus ſuprà dictum eſt) teſtatur. Epiſcoporum uerba partim ſuprà adſcripſimus, partim & hîc adſcribemus. Quid enim ea repetiuiſſe obfuerit, iuxta Prouerb. δὶς τὰ καλά: quia illi ſimul & neceſſarias cauſas ſuæ abſentiæ adſcribunt. Inquiunt ergo:

Summo conſenſu ac ſtudio non ſemel egimus apud Cæſaream Maieſt. quā pro ſe propenſam tamen, noſtraq; ſtudia anteuertentē ſemper offendimus, ut pro Imperiali autoritate & nomine inſtaret apud S.V. de indicendo celebrandoq; in aliquo opportuno loco Germaniæ, Concilio: nō equidem ad rationem uicinitatis, priuatamq; conditionem noſtram: ſed ut obiri is conuentus ac frequentari poſsit ab ĳs, quorum maximè intereſſet: qui cum præter Epiſcopatus ſuos tenerēt etiam ſæcularium ditionum gubernacula, in hac temporum perturbatione, incertoq; rerum ſtatu, longè abeſſe à domo, atque emanere ſine publicæ pacis periculo non poſſent. Et hac ſedula, omnibusq; conuentibus repetita flagitatione, eò uſq; profectū eſt, ut poſt irritam Mantuanæ & Vincentinæ ſynodi indictionem, longè ſatis, ſed heu nimis longo interuallo, ac penè feſsis Germaniæ rebus, indictum ſit Tridentinum concilium

cilium

cilium, nec indictum modò, sed etiam inchoatū, magno quidem uoto & expectatione omnium, sed NON, ut flagitatum erat (INTRA FINES, Germaniæ) resq; ipsa poscebat, sed in Tridentino oppido, longè interiectis alpium montibus, ut uerius in Italiæ finibus quàm intra Germaniæ oram constitutum esse uideatur. Quæ sanè etiam causa fuit, beatissime Pater, quòd pauci admodum ex nostris, ac nulli penè, eam obire synodum, ac ne nuncios quidem suos mittere potuerint: præsertim ARDENTE BELLO MAXIMO periculosissimoq; in Germania, quod iam multò antè, ex iisdem malorum causis, de quibus hîc querimur, impenderat. Cuius tantus terror ac trepidatio extitit, ut metu periculorum, armorumq; discursu completa fuerint omnia: nullum iter satis tutum, nullus aditus ad Tridentum patuerit.

En audis, cur episcopi Germani synodo isti nec interfuerint, nec interesse potuerint: nempe quia Tridentum nimis procul sit extra Germaniam, & quia tunc periculosissimum bellum in Germania arserit, de quo tum prius dictum est, tum & postea fortè dicetur. Iam autem cogita ipse Christiane Lector, qualis sit ista Vniuersalis, Generalis aut Oecumenica synodus, ubi absunt Episcopi præcipuæ & amplissimæ totius Christianitatis prouinciæ: imò ubi ita res omnes studiò comparantur, ne illi adesse queant.

Cogita etiam, quale sit istud concilium & iudicium de Germanicis Ecclesiis & controuersiis, ubi episcopi Germanici prorsus absunt: & ne interesse queant, studiò dataq; opera, ut auditum est, efficitur.

Porrò postea Anno 50. 51 & 52. nulli episcopi Heluetii aut Galli isti conuēticulo interfuerūt. Quo tēpore etiā rex Galliæ solēniter, editaq; publica Protestatione, ut prius dictū est, totā eā congregationem, ut synodi nomine indignissimam, prorsus reiecit.

Atqui dicet aliquis, Audio ibi quosdam ex Græcia esse, alios ex Asia & Africa. Sunt nomine, sed reipsa nec uiderunt Asiam aut Africam, nec cogitant eam adire unquam: sed sunt aulici Romani, quibus postquam agendo & patiendo sese omni genere scelerum contaminârunt, & iam ad eiusmodi præclara officia secretaq; mysteria minus uidentur idonei, beatissimus Pater eiusq;

Cardinales ueluti benemeritis dant clara nomina episcopatuum: puta alij largiuntur nomen episcopi Hierosolymitani, alij Damasceni aut Antiocheni, aut alius loci, ut Merspurgensis fuit episcopus Sidonis. Eos igitur ornatos nomine & uestitu, ueluti quosdam tragicos reges Pontifex ablegat ad sua conciliabula: ne quis neget Asianos & Africanos, uel uocatos fuisse ad synodum, uel ibi comparêre uoluisse, aut etiam agnoscere superioritatem Romani Pontificis.

Sic igitur Deum, eiusq; Ecclesiam, & totum orbem terrarum Romanus Antichristus petulanter ac planè diabolicis sannis deridet.

In hoc autem genere personatorum aut laruatorum histrionum etiam illud, ut memorabile, ita prorsus extremè detestandum execrandumq; est: quòd Pontifex ab eis, cum ordinandi sunt, exigit sacrosanctum iuramentum, quo se grauissimè obstringant, quod uelint ad illum suum episcopatum festinanter proficisci, ibiq; homines ad Christianam fidem conuertere, cùm tamen eis nunquam quicquam minus in animum uel per somnium uenerit.

Vbi igitur ordinati sunt, festinant eò uersus sedulò: Verùm ubi ad primum aut secundum lapidem progressi sunt, occurrunt eis tabellarij, qui afferunt à fide dignissimis eius loci hominibus literas, indicantes rem planè esse impossibilem, & extremi periculi plenissimam, quam tentent. Quid ibi illi cothurnati & mitrati Patres, in tam inopinato tristiq; casu facerent?

Redeunt igitur toti cõturbati denuò ad sanctissimum Patrem, qui omnibus difficultatibus promptum remedium de sua potestatis plenitudine, sacroq; omnium iurium scrinio pectoris, afferre potest. Exponunt tristes, incurua ceruice, suam præclarissimam uoluntatem, suum pulcherrimum conatum, ac iter iam susceptum. Exponunt quoque quid compererint de periculis, & impossibilitate rei. Allegant leges, quòd

Vltra posse uiri, non uelit Lex ulla requiri.

Sicq; tandem beatissimũ patrem persuadent, ut se benignè à præstito iuramento absoluat. Non iocus est, quod narramus: sed res ipsæ planè ita administrantur & aguntur.

Iam tu Christiane homo cogita, quàm horrendum scelus sit periurium: nec tantum qualecunque periurium, sed præscitum, præmeditatum: ac deniqꝫ etiam sanctissimæ illius cathedræ legibus, authoritate & longo usu comprobatum. Talia periuria & uiuentis Dei derisiones, istis hominibus multis iam sæculis usitata & comprobata fuere: & nunc quoque pertinacissimè retinentur ac defenduntur, non tantum sermone, sed etiam ferro ac igni. O horrenda confusio regni Babylonis.

Talibus igitur scenicis episcopis, aut potius uiuentis Dei derisoribus, facilè est Papæ replere suum conciliabulum. Quid autem isti non audebunt in religione facere, qui adeò propalàm peierare, & uiuenti Deo illudere non sunt ueriti?

Præterea etiam ideo non potest dici Vniuersalis synodus, quia nemo ad eam, przsertim ad ius suffragij, admittitur, qui non sit Episcopus. Excluduntur enim, contra omnia diuina & humana iura, omnes Laici: quin & sacerdotes cuiuscunque generis, exceptis paucis quibusdaam Abbatibus. At olim longè alia ratio fuit. nam Apostoli non soli quæ uoluerunt decreuerunt, sed adhibuerunt etiam seniores ac intelligentiores, & denique totam multitudinem, ut liquidò apparet Act. 15, & postea clarius exponetur. Item quoties Paulus uel Corinthium excommunicat, uel aliquid aliud publicè constituit, semper sibi illius Ecclesiæ sententiam consensumqꝫ adiungit.

Ostendimus etiam initio, custodiam ueræ doctrinæ, confessionem ueritatis, & damnationem anathematizationemqꝫ errorum ac seductorum, omnisqꝫ generis luporum, furū & latronum, etiam plebeijs, aut (ut eos isti contemptim uocant) Laicis, esse à Christo & eius cœlesti patre seuerissimè mandatam ac iniunctam. Qui enim cœlitus ad totum genus humanum clamauit, HIC EST filius meus dilectus, hunc audite: Ille idem etiam per Mosen, selectum organum, ad omnes ordines proclamauit, NON habebis deos alienos. & per Paulum: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.

Quin & ipsorum Pontificium Romanorum propria iura pronunciant, negocia religionis in synodis non minus à laicis quàm

Episco

Episcopis tractanda & dirimenda esse. Sic enim Nicolaus Pontifex, unus ex recentioribus, distin. 96. de ista re loquitur: Vbi nam legistis Imperatores, antecessores uestros synodalibus conuentionibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, ubi de FIDE tractatum est: quæ VNIVERSALIS est, quæ OMNIVM communis est: quæ non solum ad CLERICOS, uerùm etiam ad LAICOS & ad OMNES OMNINO pertinet Christianos.

Sic & Panormitanus, de elect. cap. significasti. & Gerson disputat: in concilio plus esse credendum simplici Laico scripturã proferenti, quàm toti simul concilio ea destituto. Constat igitur, etiam ex ipso Pontificio iure, quòd liceat Laicis interesse synodis: & quòd si uerbum Dei proferant, totus reliquus cœtus eos audire debeat.

In quarta actione octauæ uniuersalis synodi, teste Cusano, uolebant quidam legatis Principum negare omne ius suffragij: sed contendebant eos debere subscribere tantum, ut testes. Verùm illi contrà negarunt penitus se subscripturos, nisi sibi ius suffragij concederetur. Quam eorum petitionem tandem sancta synodus comprobauit.

Extat in manuscriptis Actis concilij Basiliensis, libellus Cusani (ut opinamur) qui prolixè probat, ius suffragij in synodis non tantum penes episcopos, sed etiam penes Clerum, atque adeò penes Laicos & sacris non inauguratos esse. Amplioris testimonij gratia adscribemus quædam inde.

Nunc uerò uidendum est ad secundum, scilicet ad exempla antiquarum synodorum. Et in primis occurrunt mihi ea quæ celebrata sunt à primitiuis patribus, fidei plantatoribus, & Ecclesię fundatoribus, beatis Apostolis: quorum primum est illud Hierosolymitanum, quod post ascensionem Domini, ante Spiritus paracleti missionem celebratum est à turba 120, hominum, quando Matthias ad Apostolatum est electus, ut habetur Actor. 1.

Occurrit mihi secundò id Hierosolymitanũ concilium, & Apostolicum, de quo Act. 6, dicitur: Conuocantes duodecim OMNEM MVLTITVDINEM discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Conside-

derate ergo, fratres, uiros ex uobis, boni testimonij, septem, plenos spiritu S. & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Et sequitur: Placuit sermo OMNI MVLTITVDINI, & elegerunt Stephanum, &c. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt illis manus. Non'ne hic daret, quòd MVLTITVDO discipulorum (uocati autẽ sunt tunc omnes Christiani discipuli. Act. 11) diffinitiuas uoces habuit, & potestatem eligendi septem diaconos?

Offert se tertiò Hierosolymitanum concilium, Act. 15. quando surrexit quęstio de obseruatione Circũcisionis & Legaliũ, secundum morem Mosis: factaq; disceptatione non minima, quando statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alij ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem, super hac quaestione. Cum autem uenissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis & senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Et subditur in textu: Conueneruntq; Apostoli & Seniores, ut uiderent de uerbo hoc. Et post uerba Petri, quae breuitatis causa omittam, sequitur: Tacuit autem omnis MVLTITVDO, & audierunt Barnabam & Paulum. Iacobus uerò tulit sententiam, qua lata subditur: Tunc placuit Apostolis & senioribus, cum OMNI ECCLESIA, eligere uiros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam & Barsabam & Silam, primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Et sequitur Epistola decretalis: Apostoli & Seniores & FRATRES, ijs qui sunt Antiochiae & Syriae & Ciliciae fratribus ex gentibus salutem. Placuit nobis collectis in unum eligere uiros, &c. Visum est spiritui S. & nobis, nihil ultrà imponere uobis oneris, &c.

Ex hoc quidem concilio habemus primò, quòd Barnabas & Paulus non solum ascenderunt ad Apostolos, sed etiam ad presbyteros. Habemus secundò, quòd suscepti sunt non solum ab Apostolis, sed etiam à senioribus & tota Ecclesia, quae primo loco ponitur, ut dignum & iustum est. Habemus tertiò, quòd sententia lata per Iacobum placuit omni Ecclesiae. Habemus quartò, quòd non solum Apostoli scripserunt ad gentes, sed & cum eis seniores. Habemus quintò, quòd Iudas & Silas erant de primis

in fratribus. Quare & diffinitiuas uoces habuerunt, & tanquam solennes oratores missi sunt. Si igitur non haberentur alia testimonia quàm hæc, utiq; sufficerent, quod Apostolica sunt, & sanctissima. Hactenus ex prædicto libello, bona fide.

Æneas quoq; Syluius aut Pius secũdus in lib. 1. synodi Basiliensis, asserit ius suffragij ac iudicij non penes solos Episcopos esse debere. Idq; etiam ex sacris literis probat.

Hoc diuinum & humanum ius cum nunc uiolent Pontifices, & contra propria iura omnes Laicos, ac etiam clericos, exceptis Episcopis, ex iure iudicij aut suffragij synodalis excludant: quomodo possunt uniuersalia concilia efficere, & non potius priuata paucorum factiosorum conciliabula ac conspirationes, cuiusmodi & præsens Tridentinum est?

Denique ideo quoque Vniuersalis synodus, dici ista Tridentina cohors non potest, quod (ut postea exponemus prolixius) multitudo Episcoporum ibi nihil cognoscit, iudicat aut statuit: sed omnia primùm Romæ à Papa & quibusdam eius Monachis & Cardinalibus præformantur, & postea à Legatis & paucis adiunctis Tridenti perpoliuntur. Reliqui uerò Patres (ut uocantur) tantum mutas personas agunt, nihil aliud in peragenda fabula concilij facientes, nisi ut tantum semel in suo ornatu prodeuntes, & certo loco conuenientes, capite bicorni innuant, & unum PLACET dicant. Verùm de hac re postea suo loco plenius.

Liquidò ergo hinc apparet, conuenticulum Tridentinum, secundum ipsa Paparum iura nequaquam uniuersalem synodum esse, aut uerè dici haberiue posse.

Sed fortè hic aliquis Põtificius sophista aut parasitus, neglecto omni diuino ac humano iure, nobis ogganiet, dictitãs: fore immensum numerũ fœdãq; confusionẽ & turbas in synodo, si oẽs promiscuè, etiam Laici, ad dicendã sententiam & ius suffragij admittãtur.

Respondemus, facillimè & huic malo remedium posse reperiri, si modò seriò res à potentibus ageretur. Constitui enim initiò de communi consensu Imperatoris, Regum ac Principum possent certi examinatores, quorum pietas ac intelligentia rerum diuinarum esset perspecta, quiq; certis legibus ac grauissimis iuramen-

tis

tis essent circumscripti. Hi cognoscerent, an ij qui in synodum ad dicendam sententiam admitti aut ipsi uellent, aut ab alijs proponerentur, essent sacrarum literarum periti. Cum enim diuina ueritas ex scrutatione Scripturarum erui debeat (ut suprà demonstrauimus) frustra ad synodum prorsus imperiti admitterentur. Cognosceretur etiam ab eisdē illis examinatoribus de uitæ honestate talium, ne planè propalàm scelerati admitterentur. Quòd si quis sibi iniuriam à prædictis examinatoribus factam putaret, liceret ei nihilominus postea coram tota synodo conqueri.

Conuocat nunc Pontifex pro arbitrio, quos ei libet, nulla prorsus pietatis ac eruditionis habita ratione. At Apostoli in deligendis tantum diaconis, qui mensis pauperum ministrarent, uoluerūt considerari spectatam probitatem, plenitudinem spiritus S. & sapientiæ. Sic & Cardinalis de Turrecremata ostendit in sua summa, non quosuis temerè ad synodum conuocandos esse: sed tantum honestæ uitæ, doctos, expertos, & zelo Dei ac publici boni præditos. Quarum conditionum nulla prorsus fit mentio in bullis Pontificiæ indictionis, in quibus tantum mitra, locus, & consuetudo in suffragatoribus spectatur.

Sed adscribemus prædicti Cardinalis uerba, sic enim lib. 3. cap. 19. suæ Ecclesiasticæ summæ scribit: Ostenso iam, non omnes prælatos maiores Ecclesiæ necessariò conuocandos ad uniuersalia concilia, nec penè posſibile fore omnes conuocari: sed oportere sæpenumero aliquos cōuocare, alijs prętermisſis: conueniens duximus, ut de qualitate conuocandorum capitul. hoc subiungeremus. Requiruntur autem potisſimū in conuocandis prælatis ad uniuersalia concilia quatuor, scilicet sapientia, uitę sanctitas, experientia & zelus ad bonum Reip. Vnde Constātinus Imperator pro sexta synodo, congreganda scribens Agapitoni Papę, ita dicit: Adhortamur uestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam, sacram, dirigere uiros utiles & modestos, notitiam habentes totius Deo inspiratæ doctrinæ & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, inducētes personam uestrę Apostolicæ sedis, &c. Meritò igitur dicimus, quòd in conuocandis requiritur primò sapientia, &c. Hactenus Cardinalis.

sacris literis eruditos,honestæ uitæ & pietati deditos:quales notas Apostoli Act.6 in creandis Diaconis obseruari iubēt,& prius dictum est:& Paulus ad Timotheum & Titum in deligendis Episcopis. Atq; hunc delectum non tantum de suo regno ac dominio, sed etiam de alieno,salua tamen publica pace ac quiete,facere possent ac tenerentur.Sic enim demum uerè posset effici synodus uniuersalis,collecta ex idoneis Deoq; acceptis patribus & confessoribus.

Hactenus satis clarè ac solidè ostensum est,tum Tridentinā synodum non fuisse aut esse Vniuersalē aut Oecumenicam,sicut isti praui homines de se iactitant:tum etiam modus est commōstratus, quo uerè Vniuersalis ex planè idoneis personis congregari posset, si modò res tantæ seriò ac in timore Dei à magnatibus & gubernatoribus administrarentur: ut certè fieri,æquum simul ac necessarium prorsus esset.

Quòd non sit Christiana synodus.

NVnc ad illud primarium epitheton,aut ueritatem ueræ synodi progrediemur,ut uidelicet sit uerè, non nomine tantum CHRISTIANA: quod uel omnium maximè requiritur.

Quod porrò Tridentina præsens,aut proximorum annorum,talis non sit,uel ex istis ipsis quæ hactenus de alijs eius proprietatibus diximus,liquidò patet:utpote quæ non tantum nec conuocata est,nec regitur ab eo qui huius rei propriè ius habet,sed etiā cōtrà ab eo,qui grauissimorum errorum,scandalorum ac scelerū reus est,ac propalā accusatur,& in legitima synodo omnino accusari necessariò debet.Nihil enim Christianum est,haberi'ue debet, quod iniustum est.

Non potest etiam dici Christiana, quæ data opera, idq; in fraudem perniciemq; ueritatis,in talem carcerem angustiasq; loci inclusa est,ut suprà de Tridentina prolixius exposui.

Quid etiam minus quā Christiana synodus esse potest,quæ tot modis serua ac captiua est,& deniq; quæ ex perditissimis & omni honestati ac pietati inimicissimis hominibus maxima ex parte cōstat? Nam quòd omnes illi ipsi patres aut iudices sint etiam rei summorum criminum,& necessariò in synodo accusandi,eoq; nullo modo

ſtiani dicimur ſummiq́ꝫ, quòd iuxta cœleſtis patris ſeuerißimum mandatum, uocem Chriſti audimus. Teſtatur hoc idem & ipſe-met Dominus, qui affirmat, eas demum eſſe uerè ac germanè ſuas oues, imò & ſuos fratres ac ſorores, qui uocē ſuam audiant: ad eos demum ſe cum patre & Spiritu ſancto uēturum, ibiq́ꝫ manſionem facturum, qui ſermonem eius audierint, & cuſtodierint: non qui aliјs aliquibus uinculis aut coniunctionibus Chriſto conſociari, uniri'ue uideri uolunt.

Eodem modo, eademq́ꝫ de cauſa etiam ſynodus, & omnis alia congregatio, Chriſtiana dicitur, ſi uocem Chriſti unici & optimi paſtoris, eius cœleſtis patris ſedulò audierit: Et non ideo quia uel de nomine ſeſe multùm iactitauerit, uel nominibus, ueſtitu ac aliјs externis laruis inſtar perſonatorum regum Chriſti miniſtros ſimu lauerit.

Eſt autem cœleſtis ille pater multifariàm multisq́ꝫ modis inde à condito mundo nobiſcum locutus, per patriarchas, Prophetas, & deniq́ꝫ per dilectum filium, eiusq́ꝫ Apoſtolos: quæ etiam ſcripis à Spiritu ſancto conſignata, & Eccleſiæ Dei, tanquã infallibilis nor-ma ueritatis, tradita commendataq́ꝫ ſunt: & ob hoc ipſum quoq́ꝫ Biblicus Canon nominantur, quia eo ſolo omnia iudicari in Reli-gione Eccleſiaq́ꝫ omnino oporteat.

Hanc igitur unicam ueritatis normã aut Canonem ſolum, tum in ſynodo, tũ & in omni alia cognitiõe aut iudicio Religionis nos audiendum & ſequendum credimus & contendimus, tanquã in-fallibile κριτήριον, lucernã aut Lydium lapidem, in examinanda om ni Theologica doctrina, omnibusq́ꝫ ſcriptis, libris aut ſermonibus de Religione.

Credimus quoq́ꝫ ac docemus, reliqua omnia monumenta ac li-bros de Religione cuiuſcunq́ꝫ demum uel mortalis uel immorta-lis, uel hominis uel Spiritus, nõ aliter nec longius probanda eſſe, quàm quatenus huic libro aut normæ correſpondeant.

Contra autem aduerſarij horribiliter calumniantes, imò potius blaſphemantes, Sacras literas eſſe tum obſcuras ac ambiguas, tum etiam non plenè inſtitutionem Chriſtianiſmi continentes, conten dunt, in ſynodo & omni alio Religionis iudicio potißimũ audien

dos eſſe

dos esse Patres, concilia, ipsorum Romanos Pontifices qui errare (si credere fas est) prorsus nequeant: item, recentiorum scholasticorum, Theologiã, magis ex Philosophia quàm Sacris literis profluentẽ: & deniq; somnia & abominationes Monachorum, & imposturas Cacodæmonum, ac nugas uetularum.

Ex quibus consuta cõsarcinataq; est eorum ultima ista Theologia Chimera aut Hyæna: nisi quòd quædã iam etiam in tanta uerbi Dei luce partim dissimulent, partim aliquanto speciosius fucent, pallient & ornent. Hoc enim totum Chaos cõfusionum & errorum illi nobis, pro unica Christi uoce & uerbo Dei, consensu catholicæ Ecclesiæ, & deniq; pro unica ac infallibili norma ueritatis in præsenti conciliabulo & alioqui obtrudere conantur.

Omnino operæpretium esset hîc plenè ac prolixè aduersariorum sententiam, uel blasphemias potius, cõtra sacrosanctum Dei uerbum, eius Sacra Euangelia, & totum nouũ filij Dei Testamentum recensere: ut omnes uiderent, quàm prorsus non Christianam synodum ac iudicium de præsentibus cõtrouersijs & instauratione Religionis parent, ac moliantur. Sed quia ea opera nimiam omnino prolixitatem flagitaret, & non ita dudum à quibusdã nostrûm editum est proprium scriptum de hac ipsa materia, titulo (Norma & praxis synodi Tridentinæ) ubi ista plenius legi possunt, in qua scriptione, tãquã si hic inserta esset, nũc acquiescimus: ideo omissa omni prolixitate, unius Cardinalis, legati & gubernatoris aut præsidentis in ista ipsa præsenti synodo, sententiam de Sacra scriptura aut uerbo Dei, regulaq; cõcilij, ac omnis iudicij Religionis recensebimus: & porrò nos cẽseremus ad confirmationem ueræ sententiæ de Verbo ac sermone Dei, qui nobis ut Lucerna pedibus nostris in obscuro loco ambulãtibus propositus est: cui si attendamus, eumq;, uti iussi sumus, scrutati fuerimus, benè faciemus. Sed iam audiamus istius gloriosi gubernatoris præsentis conciliabuli uerba, quomodo & secũdum quam regulam ille cum suis sodalibus uelit de Ecclesiæ Religionisq; controuersijs iudicare & statuere. Sic enim in blasphemiæ uerba erumpit inquiens:

Nos uerò Dei de cœlo sententiã potius expectabimus, ac tum istos pro sua, non pro scripturarum sententia dimicantes tum ipsas

etiam

etiam SCRIPTVRAS, quarum tot iam non diuersas modò, uerùm & contrarias interpretationes adferri uidemus, FACESSERE iubebimus: & quod nobis cœlestis ille magister dignatus fuerit reuelare, tanquam expressum Dei Verbum, ea qua par est reuerentia recipiemus. *Facesse potius Tu mancipium Antichristi, cũ tuis Stencfeldicis somnijs in infernum, quàm ut facessat à nobis Scriptura.* ac ipsum loquẽtem potius audiemus, sicut etiam Propheta dicit, Audiam quid lõquatur in me Dominus: quàm ut ad ista egena elementa nos conuertamus, & in illis quæ nunc in hunc, nunc in illum sensum infle cti uidemus. *O blasphemiam horribilem contra Deum & eius sacrosanctum uerbum.*

Non oportet. (*Nota porrò eiusdem blasphemias.*) legis aut Scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum. Vanus est labor qui Scripturæ impenditur. Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elemẽtum. Non cõuenit Christiano, nimium creaturæ addictum esse. Deum audiri oportet, cuius uoces de cœlo expectandæ sunt ut nos erudiat *Conculcato tu Euangelion filij Dei, quod scrutari & audire iussus es: & uola in cœlum, quæsiturus aliam doctrinam.* Beatus uir, inquit Dauid, quem tu erudieris. Æquè nos docet hodie, atq; olim Patriarchas & Prophetas. Prohibuit Christus, ne plures Magistri fiant, quòd unus est magister noster. Hæc iste nefarius Antichristi Cardinalis, legatus, & deniq; impij conciliabuli gubernator, contra uiuentem Deum blasphemat: cuius similes sacrilegas uoces passim in istorum scriptis reperias.

Reliquũ igitur est, ut quantum fieri potest, quã breuissimè probemus, solas Sacras literas esse uerè Verbum aut doctrinam Dei, ac uocem Christi, siue simul auribus sonam accipiendo, siue oculis legendo, siue deniq; sola animi cogitatione percipiantur: eoq; illum demum cœtum germanè Christianum esse, ac dici posse & debere, qui eas corde perceptas, uera fide discit ac sequitur: non qui commenta hominum sectatur, ac pro uerbo Dei uerãq; Dei doctrina iactitat & uenditat.

1.

Primùm autem hîc ualde operæpreciũ est nosse uetustissimum morem conciliorum, de quo Cusanus scribit: quòd ueteres conci-

quens de ea in fine Hoseæ hisce uerbis: Planę sunt uiæ Domini, & rectæ, ac iusti ambulabunt per eas, impij autem corruent in eis. Sic & Psalmus dicit, uerbum Domini esse purum & lucidum, sicut argentum septies excoctum & purificatum. Quæ autem, ô bone Deus, maior impietas, detestabiliorq́ꝫ blasphemia excogitari potest, quàm dicere sacras literas (ut isti impuro ore clamitant) esse ambiguas, obscuras, flexiloquas: & contrà iactare, se suaq́ꝫ conciliabula esse supra scripturã, & quæ similia ministri Antichristi blaterant? Quasi uerò Spiritus sanctus, eius autor, uel studio nos decipere, nobisq́ꝫ imponere uoluerit: uel etiam non potuerit ea perspicuò dicere, quæ uoluit.

V.

Semper hypocritæ ad suos Patres & traditiones confugiunt, ut uidemus in exemplo impiorum Pharisæorum & Iudæorum. At Christus cum Apostolis adeò non curat Patres, ut etiam eos redarguat, & seueriter pronunciet de illorum institutis ac traditionibus inquiens, Frustra me colunt mandatis hominum: & eorum sectatores affirmet esse cæcos, & cæcorum duces. Sic & nostri Papistæ hóc tempore clamant: Quare uos uiolatis traditiones ac instituta maiorum, nihil considerantes quod & ipsi sicut olim Pharisæi, propter traditiones & mandata hominum, Dei ipsius mandata irrita faciant. Christus sanè mox initio suæ prædicationis Matth. 5 patrum interpretationem Scripturæ, aut potius corruptionem damnat ostendens, non eorum impias glossas, sed ipsam Scripturam sequendam esse.

VI.

Si ex patribus, atq́ꝫ adeò etiam recentioribus superioribus necessariò esset petenda interpretatio Scripturæ, & cõtrouersiarum diiudicatio, & non propriè ac tantum ex hac Scriptura: quid tãdem fecisset, aut quomodo sui temporis controuersias diremisset primitiua Ecclesia annis iam amplius 300 initiò cum nulli scriptores essent, qui uel paulò plenius de plerisq́ꝫ capitibus Religionis Christianæ disseruissent? Nimirum expectandũ illis fuisset, donec Thomas ac Scotus nascerentur, suis tenebris Ecclesiam illuminarent: aut etiam donec tales illis Romani Pontifices exorirentur, qui &

caput essent totius Ecclesię, & errare planè non possent. Quòd si olim optimè ac maximè Ecclesia floruit, uerumq; è falso diiudicare, solius Scripturæ lumine potuit: sperandum est, hoc quoq; tempore idem in concilijs & alioqui fieri posse.

VII.

Oportet normam iudicij ac ueritatis in Ecclesia certis ac finitis, uel potius paucis quibusdam scriptis esse comprehensam, & certis sigillis confirmatam. Sic aut sola Scriptura est finita & sacramentis & diuinis miraculis Prophetarum, Christi & Apostolorum confirmata: non autem patres aut eorum commenta.

VIII.

Vrgent quidem isti miracula & martyria patrum. Sed illud contrà uerissime respondetur. Omnes sanctos Patres & Martyres miracula faciendo & patiendo non se sua'ue dicta ac scripta ostentasse, sibi'ue laudem aut testimonia quòd errare nequeant præbuisse: sed solius Christi eiusq; uerbi, id est, sacrarum literarũ. Nullus unquam Patrum miracula faciendo aut patiendo dixit, Hoc miraculo aut hac mea passione testor, me nihil unquam falsi scripsisse aut dixisse: sed, Testor q; hic Iesus sit unicus seruator mundi, & q; solus hic liber sacrarum literarũ uerã & immotã Dei religionẽ, sine omni errore ac mẽdacio, contineat. Sic igitur sacræ literæ, non hominum commenta, sunt sacramentis, miraculis & martyrum sanguine obsignata ac confirmata. Non loquimur autem de miraculis postremorum temporum, quæ (teste Paulo) sunt efficax illusio & impostura Satanæ & Antichristi. 2 Thes. 2.

IX.

Norma iudicij quiddam publicum & à summa autoritate confirmatum esse debet: sed talis est sola scriptura. nam Patrum scripta sunt singulorum hominum priuatæ cogitationes, & nõ à summo Rege regum & Domino dominantium comprobatæ.

X.

Deus hoc cõsilio proposuit sacras literas Ecclesiæ, ut essent norma iudicij, sicut suprà in eius mandato exposuimus. At Patres nequaquam hoc fine scripserunt (quod ex ipsorum dictis probabimus:) sed tantum, ut potissimum sui temporis hominibus & con

troversijs

trouersiis seruirent. Videndum uerò sedulò est, in quem usum unumquodq; paratum ac ordinatum sit.

XI.

Omnes Patres professi sunt, se sua ex sacris literis hausisse: & inde, ut ex fonte & unica regula ueritatis, omnia sua probare sunt conati. Quæ ergo est ista impudentia, inuertere rerum naturam, & ex re mensurata mensuram iudicare, & fonti riuum tanquam meliorem aquam continentem præferre?

XII.

Papæ pleriq; fuerunt aut indoctissimi asini, & certè sacrarum literarum rudes: aut uerò quæ sua sunt, non quæ Christi & Ecclesiæ, quærentes, Quid ergo illi boni Ecclesiam Dei docuissent? Cur igitur illorum nugamenta & pleonectica decreta pro immota ueritate nunc haberentur?

XIII.

Patres, Papa, & etiam multa concilia tantum de sui temporis causis ac controuersiis egerunt, eoq; nobis ac nostris cõtrouersiis minus conueniunt. At Scriptura habet generales normas, & ita est mirabiliter diuinitusq; temperata, ut omnibus temporibus ac controuersiis sit perinde accommodata.

XIIII.

Ipsimet patres, ac præsertim saniores & uetustiores, nos à suis & aliorum scriptis ad solas sacras literas, præcipuè ubi de iudicio ac certitudine grauissimorum negociorum agitur, ablegant. In cuius rei testimonium quædam eorum dicta breuissimè adijciemus.

Irenæus aduersus Valentini & similium scripta lib. 2. cap. 56. Scripturis diuinis nisi certa & indubitata ueritas est, in firma & ualida petra est domum suam ædificare: hac uerò derelicta, alijs niti quibusdam doctrinis, incertũ effusæ arenæ (unde facilis euersio) est ruinam statuere. Idem inquit: Beatus qui seminat super omnem aquam, ubi bos & asinus calcat: hoc est, qui seminat super populos duntaxat sequentes Testamenti utriusque doctrinam, non superuacaneas humanarum traditionum fabulas.

XVI.

Patres plerique omnes fuerunt destituti linguarum cognitione. Non fuerunt certè coniunctim omnium trium, quæ maximè necessariæ sunt, periti. Quomodo igitur potuerunt ipsum textum aut corpus sacrarum literarum sine linguis perspicuè exponere? Huc adde, quòd partim assuefacti in scholis ad suas rhetoricas, humidas & improprias declamationes, expertesque proprijssimi ac simplicissimi stili aut sermonis: partim etiam, quia conciones & copiosus uehemensque sermo sunt magis plebi necessarię, quàm illę pressæ, tenues, scrupulosæ, & (ut uidentur) ieiunæ, aridæque considerationes Textus, & illæ Dialecticæ Grãmaticæque argutiæ, quæ in exponẽdo genuino totius alicuius scripti ac eius sermonis sensu necessariò adhibentur, in eo sunt immorati. Alterum uerò illud proprium & aptum, ac (ut iam ita dicamus) textuale genus explicandi Scripturas, planè neglexerunt.

XVII.

Imò illud negari non potest, plerosque tantum allegorias consectatos esse: ac in eis excogitandis, fingendis, pingendis ac decantandis præcipuam operam sumpsisse. Atque hoc uel in primis fecit Origenes, cui tamen linguarum cognitio à ueteribus tribuitur, ut parum rectè in hac parte instrumento linguarum sit usus. Quid ergo inde explicationis solidæ sacrarum literarum peti potest, ubi passim literalis textus tanquam mortua & infrugifera litera proculcatur & contemnitur, & tantum mirabiles quædam cogitationes aut ideæ Platonicæ quæruntur, & nomine spiritualis sensus auditoribus uenditantur?

XVIII.

Ingentem planè dissonantiam sensuum & dictorum Scripturæ reperias, non tantũ in diuersis patribus, sed etiam in uno eodemque. Nunc enim hoc, nunc alio modo ac sensu eadem dicta explicant. Et prout sese illis materiæ ac controuersię uel confirmandę uel refutandæ offerunt, illique suo quodam zelo incalescunt: ita omnia eò rapiunt, prorsus non aliter quàm in subitis seditionibus, aut aliquando etiam in uinosis rixosisque conuiuijs usuuenit, ubi omnia instrumenta, patinæ, quadræ, canthari, panis etiam ipse & cyathi

XX.

Certissimum omnino, tum diuinæ prouidentiæ ac uoluntatis, tum etiam iudicij ueteris Ecclesiæ iudicium est, quòd tam sollicitè ueteres contra omnes insidiatores & prauos spiritus cōseruarunt sacras literas incorruptas, & tam uarias censuras euulgarunt, quibus uerè genuina monumenta Spiritus sancti à corruptis ac suppositititijs separârunt. Talem nullam diligentiam reperimus adhibitam esse in conseruatione monumentorum patrum. Eoq; etiam proculdubio plurimæ eis corruptelæ acciderunt. Sed, ut dixi, ista miraculosa conseruatio puræ & incontaminatæ scripturæ, contra tot seductores & tyrannos, est euidens testimonium Diuinæ uoluntatis, qui uult nos isti soli normæ tanquam certæ ac immotæ adhærere. Idem (ut dictum est) tota primitiua Ecclesia, sua ista tam fida diligentia & acri seueritate in censendis & conseruandis Biblicis monumentis indicare ac protestari uoluit, in eo uidelicet salutem Christianorum consistere, indeq; omnē ueritatis normam ac dijudicationem petendam esse: non de Patrum libellis aut rhapsodijs, quæ ab eis non ita ualdè curatæ sunt.

XXI.

Plurima obscura dicta in patribus reperias, plurima supra modum, ultraq; omnem rei ueritatem uel amplificata, uel etiam extenuata. Sedulò enim illam ueterem Rhetorum regulam obseruarunt: Petas quod iniquum est, ut quod æquum est auferas. Multa etiam sunt apud eos contradictoria, multa deniq; falsa: quod ipsemet Augustinus de suis & aliorum patrum scriptis testatur. Quale nihil in sacris literis reperies. Sæpe patres sibi admodum malè constant, & quæ in una pagina, altera manu largè dederunt, ea paulò pòst in sequenti prorsus auferunt. At contrà in Scriptura, quæ optimè sibi constat, nihil tale reperias, ubi uerè, Næ næ, & Non non est.

XXII.

Si licebit in Scriptura fingere obscuritates, quæ ex ipsa nulla ratione certò definiri ac explicari queant, ita ut earum illustratio sit omnino secundum istorum sententiam à Patribus quærenda: Cur non idem fieri & accidere posśit etiam in omnibus Patribus?

Quò ergo porrò confugiemus, ut eorum nodos aut ænigmata explicemus? Sic nimirum aut desinere à ueritatis inquisitione cognitioneq; cogamur: aut certè (sicut Paulus de superstitiosis uetulis dicit) semper discemus, & nunquam ad ueritatis cognitionem perueniemus.

XXIII.

Non uelle esse contentum Scripturæ iudicio, sed ab ea tanquam obscura, ueluti appellationem quandam accipere & dare ad Patres, est in infinitum Mare progredi, & reuera omne definitiuum iudicium ex Ecclesia tollere. Si enim uel ex uno Augustino utraque pars inceperit colligere quæ pro se facere uidebuntur, cum contrarijs testimonijs conferre, illa refutare, sua confirmare, & ad omnes nouas aduersariæ partis obiectiones respondere, quando tandem erit finis litis? Quanto magis erit inexhaustus labor, & infinitum tempus ad eum perficiendum requiretur, si omnia Theologorum uolumina (quæ præter tot dudum excusa adhuc quotidie, noua reperiuntur & eduntur) erunt peruestiganda, eorumq; sententiæ (ut ita dicamus) distillandæ, eliquandæ, & tandem ad aliquam indubitatam summam in omnibus controuersis dogmatibus reducendæ? Quare si ueritatem reperire & retinere uolumus, consistamus in ista finita norma sacrarum literarum aut uerbi Dei: & non ea deserta, nos, Religionis'que controuersias in abyssum Patrum præcipitemus.

XXIIII.

Iudæorum profectò hac ratione conditio multo melior fuerit, eorumq; religio certior erit quàm Christianorum, si ista aduersariorum norma ualebit. Nam ipsi, præter Vetus testamentum habent suam Patrum traditionum normam (quam per manus fingunt sibi inde à Patriarchis ac Prophetis traditam) iamdudum scripto in suis Thalmudicis libris comprehensam: Cui nihil porrò addere aut adimere licet. At nostra Cabala adhuc quotidie à Rabinis nostris scriptitatur, quotidie adhuc Spiritus aliquid sanctissimæ sedi patefacit, quotidie Concilijs aliquid reuelat.

Exempli causa: intra pauca secula spiritus Pontifici patefecit, & Ecclesiæ donauit tot monachos mendicantes, quorum supererucationis operibus, meritisq́; atque adeò etiam sola cucullæ induitione seruemur: tam uarias indulgentias, communionem sub una specie, tam uarias statuas & loca miracula patrantia, ad quæ homines in omnibus difficultatibus planè ut ad Deum confugere, & eorum opem implorare debeant. Verè sanè nos quoque (prout nunc res fluunt) dicere possimus, Papistis quotidie Deos nasci & interire: sicut Plutarchus & alij Ethnici de suis orientibus & intereuntibus Oraculis dissertarunt.

XXV.

Etiam postea, cum habuit Ecclesia Patres & Conciliorum canones, tamen semper in nouis synodis ac certaminibus ipsam potissimum Scripturam habere & urgere pro summo iudice uoluit: ut inter alia etiam Augustinus indicat, qui ipsam quoque sacrosanctam Nicænam synodum reijcere aduersarios patitur, & solius Scripturæ aut uerbi Dei gladio secum concurrere flagitat. Sic enim inquit:

Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam pium præiudicaturus, proferre concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione conferatur.

Imitemur igitur & nos ueterum patrum exempla, ut in grauissimis controuersijs, neglectis hominum opinionibus, os Domini consulamus, & ad eius oraculum confugiamus.

XXVI.

Diximus initiò harum rationum de grauissimis mandatis omnipotentis Dei, præcipientis nobis, ut ex ipsa Scriptura ueritatem quæramus, quæ uel sola totam hanc quæstionem omni iure finire possent ac deberent. Nunc audiamus etiam testimonia eiusdem de laude ac utilitate Scripturæ. Spiritus sanctus inquit per Paulum, suum electum organon, non solum ad Timotheum, sed etiam

ad omnem Christianum hominem atq; adeò totam Ecclesiam: At tu persiste in ijs quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero SACRAS literas noueris, QVÆ te possunt ERVDITVM reddere ad salutem quæ est in CHRISTO IESV. Omnis enim Scriptura diuinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quę est in iusticia, ut integer sit Dei homo ad omne bonũ opus apparatus.

En habes Christiane lector, disertissimum & grauissimum Spiritus sancti testimonium, quod sacræ literæ sint plenum & perfectum opus, aut doctrinæ Copiæ cornu, quòd possint hominem Christianũ plenè erudire & in omnes ac ad omnes Ecclesię necessitates & remedia largissimè sufficere ac succurrere. Vbi ullũ tale uictis Dei testimonium de ullis, aut etiam omnibus simul patribus, Papis ac Concilijs reperies? Sic & Roma. 15 idem ueritatis spiritus affirmat, Scripturam propter nos scriptam esse, nosq; per eius consolationem aut instructionem certam spem uitæ habere posse. Quid hoc aliud est, quàm affirmare, esse talem librum, cuius doctrina certò ad uitam peruenire queamus: frustra omnibus diabolis, erroribus ac hæreticis repugnantibus?

Sic Ioannes euangelista docet, Christum quidem penè infinita concionatum esse: sed illa quæ ipse conscripserit, sufficere ad informationem ueræ fidei, & ad salutem hominum æternam.

Diuus etiam Petrus, summus ac primus (ut isti uolunt) Ecclesiæ Pontifex, affirmat, sacras literas propter nos propriè scriptas esse: amplissimumq; eis encomiũ præbet, quòd nos ex omnibus tenebris ac erroribus huius mundi ac inferorũ, ueluti lucerna quædam pedibus nostris prælucens, educere possint. Quare eas confidenter nos sequi debere. Non ait ille: Ego & successores mei Papæ Romani errare nequaquam possumus: Nos uobis promptè in omnibus dubijs ac erroribus succurremus: Meos successores confidenter sequimini: Illi nec errare nec seducere quẽquam possunt.

Eodem facit ac referatur, quod Deus mandat in Deuteronomio, certum librum sacrarum literarum confici, eiq; nihil adimere aut addere: contineri enim in eo perfectam sapientiam. Quod mandatum de non adimendo aut addendo, non declinãdo ad dex

teram

teram aut sinistrã, à tradita diuinitùs norma pietatis, sæpius in uete ri & nouo Testamento iteratur. Vnde necessario sequitur, ibi plenam perfectamq; doctrinam aut institutionem contineri.

XXVII.

Summa, sicut solus Deus est sapiens, uerax & bonus: contrà autem, teste Scriptura, omnes homines sunt mendaces, insipientes & mali, & maledictus qui in eis confidit: ita etiam sola ea doctrina aut liber, quem certò constat ab ipsomet Spiritus sancto per os Prophetarum & Apostolorum dictum, & per manus eorum conscriptum, est uera & plena sapientia ac salutaris doctrinæ. Contrà autem, in omnium aliorum doctorum scriptis constat esse multum straminis ac fœni cumulatum, non parum etiam zizaniæ interspersum. Sunt quoq; omnium temporum scriptoribus inde fermè à Christo à maioribus aliqui næui, aut etiam errata tributa, cum non dubitaretur etiam multo plura in eis remansisse. Nunc igitur qui Scripturæ lucernam pedibus omnium Christianorum propositam sequitur. Is securo animo & plena fide dicere potest: Scio cui credidi, & certus sum. At qui deserta Scriptura, ut obscura & ambigua, ad Patres confugit, quomodo is certus esse potest, se tantum ueras illorum sententias sequi? Quo lumine aut iudicio discernet illam (ut isti uolunt) per manus traditam Cabalam Dei, ab erroribus ipsorum mendacio obnoxiorum homuncionum? Itaq; ille nequaquam dicere potest, Scio cui credidi & certus sum: sed necessariò cogitabit. Dubito quid & cui credam cum Scriptura sic obscura, & Patres multa malè senserint ac dixerint: sicq; in dubitatione ac mœrore, adueniente satanæ tentatione, tandem illaqueabitur, submergetur & interibit.

XXVIII.

Sed obijciunt impij ministri Antichristi, Ecclesiam esse supra Scripturam: quia Augustinus dicat contra Epistolam Fundamenti: Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ moueret autoritas. Si quærimus, quid hic uocent Ecclesiam, dicunt synodum. Si porrò urgemus quid hic nominent Synodum, dicunt Pontificem eiusq; legatos, & reliquos ab ipso in certum locum conuocatos. Sic sub nomine ac prætextu Ecclesiæ, dogmata, Verbum ac decreta impij

istius Pontificis, uiuentis Dei decretis & uerbo præferuntur. An non est hoc sese efferre supra uiuentem & omnipotentem Deum?

Quod autem ad dictum citatum Augustini attinet, dupliciter alicui creditur ac obeditur: uel ut uero ac summo Domino, qui propriè ius mandandi ac prohibendi habeat, quiq; pro suo nomine aliquid mandat, idemq; etiam, mox prohibere possit, si ei uideatur potens: Vel ut testi ac ministro, qui non suo nomine sua'ue autoritate uenit aut aliquid præcipit, sed summi illius Domini mandatũ subditis ipsius indicat. Ibi enim uerè dici posset, Regi hoc aut illud nobis suis subditis præcipienti non credidissem, nec obedissem, nisi eius ministro credidissem. Si enim non fuisset fide dignus minister testatus, hoc aut illud uerè esse regis mandatũ aut uoluntatẽ, qui potuissem regi in eo obedire? Potest ergo & debet fidus præco aut alius minister testari, quidnam uerè Rex mãdarit, & ipsi testi in eo credendum est. Sed non potest aut debet idem minister ad subditos dicere: Etiãsi Rex hoc prohibuit, illud uerò mandauit, tamẽ ego uolo ac iubeo ut hoc quidem prohibitum faciatis, illud uerò mandatum omittatis. Hoc enim esset, se supra Regem eiusq; edictum efferre.

Sic si ecclesia non esset testata hosce sacrarum literarum libros uerè esse à Deo humano generi traditos, & tunicam ueræ pietatis normam propositos ac impositos omnibus, posset aliquis suspicari, esse cõscriptos ab aliquo impostore, aut alioqui incertæ fidei homine. In hoc porrò genere non tantùm Ecclesiæ credimus, sed & Iudæis, saltem de Veteri testamento. Quin etiam suo quodam modo & Mahometo ac Turcis ac Iudæis de Nouo testamento. Testãtur enim & ipsi de Christo, quòd certò fuerit talis aliquis magnus propheta, &c. Verùm postquam Ecclesia agnouit & testata est, qui'nam libri uerè à Deo traditi sint, & qui'nam sint suppositicij: nullo modo habet ius prohibendi ne credamus ueris Dei libris, aut mandandi ut credamus falsis à satana & impijs compositis. Hoc enim esset, se supra Deum efferre.

Nullo igitur modo uel ecclesia, uel quisquam alius propterea est supra scripturam, aut supra aliquod mandatum, quia dicitur de eo testari, aut quia ei de eo testanti creditur. Sed si ius haberet tollendi

lendi aut prohibendi quæ in Scriptura Deus mandat, aut præcipiendi quæ ille uetat: tum uerò uerè esset non tantum supra Scripturam, sed & supra ipsum uiuentem Deum. Quam Antichristianam Luciferi ambitionem & superioritatem, seductores ac monachi Papę & Romanæ synagogę & cõciliabulo furēter uendicant.

Olim præcones, & nunc Heroldus Cæsareus affert alicui Principi aut ciuitati Cæsaris mandatum, & potest ac debet testari Cæsarem hoc mandare, illud uetare. Postquam autem hoc fecit, si diceret, Ego tamen sum supra Cæsaris edictū aut mandatum, ideo mandata Cæsaris prohibeo & uetita mãdo: hoc uerò esset se supra Cęs. Maiest. efferre, talisq́ præco & Heroldus extremo acerbissimoq́ supplicio afficeretur. Talis prorsus honos & isti impiæ synagogæ, conciliabuloq́ eius Antichristo continget.

XXIX.

Pergunt aduersarij ueritatis obijcere contra autoritatem uerbi Dei: Omnes hæretici citant Scripturas, & inde (ut ipsi blasphemant) omnes hæreses oriuntur. Quare non adeò magnificè est de sacris literis sentiendum, aut inde tantùm iudicium ac norma ueritatis petenda. Respondemus contrà: Petrus dicit esse lucernam pedibus propositam, & è tenebris educentem, sicut & Daniel testatur & Paulus dicit eam ualere ad docendam ueritatem, & refutandas hæreses. Dominus quoq́ Iesus contra istam blasphemiam Papistarum calumniam dicit, Scripturam esse fontē ueritatis. Contrà uerò affirmat, inscitiam Scripturæ esse originem erroris, cum ad Pharisæos inquit: Erratis nescientes Scripturas. Et in Veteri testamento toties inculcaretur: Populus meus perit sine scientia.

XXX.

Præclarè D. Augustinus contra istam Papistarū blasphemiam scribit, super Epistol. Ioh. Tract. 2, cum inquit: Contrà insidiosos errores Deus uoluit ponere firmamentū in scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se uult uideri Christianū. Quæ beatissimi patris sententia obseruanda est, tum ut usum scripturæ agnoscas, quòd nempe sit firmamētum contra errores, non origo errorum aut hæresium, ut isti blasphemant: tum etiam ut uideas, quàm prorsus non sint Christiani, qui tam fœda de sacris lite

teris blaterare audent.

Cæterum quod ad istorum blasphemiam attinet, illud multò uerius, imò & uerissimum est, omnes hæreses tãtum spirituali gladio uerbi Dei iugulatas esse. Vt enim maximè aliquando quid speciosum aliunde è Scriptura arripiant, quo imperitis imponere conẽtur: tamen mox ubi seria collatione & scrutatione scripturarum urgentur, clarè & euidenter refutantur.

Scrutemur igitur & nos Scripturam iuxta Christi mandatum, & Thessalonicensium Iudæorum exemplum: & uerum Messiam æternamq́ lucem in eis reperiemus. Illarum sensu intelligẽtiaq́ Dominus suos Apostolos, uniuersi Mundi errores ac furores expugnaturos, armauit: Luc. ulti. Contrà autem satan ignorantia Scripturarum sua mancipia in errore detinet, dicente Domino: Erratis, nescientes Scripturas.

Ex hisce igitur argumẽtis ac testimonijs liquidò apparet, solam sacram Scripturam, aut uocem unici boni pastoris Christi Iesu audiendam, sequendamq́ esse, cùm in omni alio iudicio ac cõtrouersia Ecclesiæ Religionisq́, tum uerò prǽsertim in synodis, siquidem Christianæ uerè esse ac dici debent.

XXXI.

Sed detestanda planè est audacia, quòd ista noua portẽta in Ecclesiam inducere audent, ut asserant, Non debere unicam ueritatis ac iudicij normam in synodis ac causis Religionis esse solas sacras literas, sed suos etiam Thomistas, Scotistas & Sorbonistas: cum non tantum ueteres, sed etiam recentiores scriptores in synodo solam sacrarum literarum normam dominari uoluerint. Nam Nicolaus Cusanus Cadinalis clarè testatur, synodos solitas esse controuersias secundum sacras literas iudicare ac determinare.

Panormitanus quoq́ super de electio. cap. Solite, pronunciat adeò solam Scripturam in synodo regnare debere, ut uel minimo laico scripturam pro sua sententia proferenti, sit plus credendum, quàm toti reliqui Patrum cœtui. Sic & Gerson pronunciat. Hoc idem, ut sola Scriptura sit summus & unicus iudex, cui alia omnia cedant, etiam decretum Pontificium dist. 8 & 9. prolixè decernit, & autoritatibus testimonijsq́ patrum confirmat. Vide ipse

ipse Christiane lector locum; & expende.

Hanc eandem unicam ueritatis normam, aut stateram iudicij, etiam Basiliēsis synodus sibi præscripsit, hisce uerbis: Lex diuina, praxis Christi, Apostolica & Ecclesiæ, unà cum concilijs & doctoribus, FVNDANTIBVS SE VERACITER IN EADEM, pro uerissimo & indifferēte iudice in hoc Basiliensi cōcilio admittentur.

En audis, quòd uelit tantum Scripturam esse iudicem: & alia scripta patrum aut cōciliorum solum eatenus, quatenus se in sacra Scriptura uerè fundant.

Quoniam igitur synodus Tridentina, ut postea etiam magis patebit, non uult solum Christum in sacris literis audire, sed potius supra Scripturam esse, aut etiam contra Scripturā pro libitu decernere, ut postea ex eius canonibus magis patebit: eoq; sese supra ipsum Christum unicum nostrum seruatorem ac magistrum effert: ideo Antichristiana, & nequaquam Christiana synodus nominari aut appellari potest ac debet.

Recta praxis normæ, seu uerus processus synodi.

RESTAT nunc alterum illud primarium caput, in quo Christianę synodi cōditio persistit, nempe commodum processus aut recta ratio inquirendæ ueritatis: quæ si non fuerit adhibita, frustra omnia alia aderunt.

Nunc enim intelligimus prorsus factiosas aut præiudiciarias, pleonecticasq; quasdam actiones & προβυλώματα in istis conciliabulis adhiberi, quibus multipliciter ueritas eiusq; confessores, & omnino imbecillior pars decipi ac prętgrauari queat, & soleat. Quā formam breuiter cum ueteri synodi forma conferemus, ut quantum sit noua uetere iniustior ac fraudulentior, Christianus lector intelligat: tantoq; magis eam abhorreat, detesteturq;.

Primùm igitur, flagitante aliqua causa, aut Ecclesiæ necessitate (quod plerunq; hæresium ac schismatum tempore accidit) conuocator synodi solitus est id maturè Archiepiscopis, Episcopis, & toti clero, nominato loco & tempore conuentus, indicare, ac monere, ut ipsi quamprimum congregatis prouincialibus cōcilijs, de tota re diligenter cum suis Ecclesijs deliberent: & delectis idoneis uiris, ad uniuersalem synodum mittendis, per eos suam sententiam

explicent, deq; ea porrò cum aliarum Ecclesiarum legatis & Patribus conferre queant. Quod Cardinalis de Turrecremata hisce uerbis in sua summa affirmat:

Sanè non est prætereundum hîc silentio, quòd olim sancti patres obseruandum duxerunt, ne in uniuersalibus concilijs super huiusmodi dubijs uentilandis, controuersia aliqua oriretur: & ut ueritas plenius & citius illustrata, acceptabilis fieret toti Ecclesiæ. Planè ut tam ex antiquorum conciliorum historijs, quàm ex beati Augustini sententia colligere possumus, hoc apud ueteres patres obseruatum est. Summus enim Pontifex (contrà ostensum est suprà, Imperatorem fuisse conuocatorē) quando patriarchis & alijs Ecclesiæ prælatis denunciaret uoluntatem suam de congregando concilio uniuersali, semper explicabat necessitatem conueniendi, & materiam super qua foret prouidendū: mandans, ut ipsi primò in suis prouincialibus concilijs deliberarent, & quod totius prouinciæ Patribus in unum congregatis uisum esset, per nuncios mittendos ad uniuersale concilium, ipsi uniuersali cōcilio explicarent. Vnde beatus Augustinus contra Donatistas, hoc apertè testari uidetur sic dicens: Quomodo enim potuit res ista tot altercantium nebulis inuoluta, ad plenarij concilij luculentam illustrationē confirmationemq; deduci, nisi prius diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?

Porrò ueterem formam ipsius iam congregatæ generalis synodi Cardinalis Cusanus in opere de Concordia catholica lib. 2. cap. 6 satis commodè recenset, quam ad uerbum adscribam: In summa est hoc aduertēdum, secundum quod in Conciliorum gestis legitur: Primū, quòd uniuersalia concilia de consensu Romani Pontificis, ac aliorum patriarcharum, per Imperatores sub articulis fidei congregabantur.

Secundò, quod in loco congregationis in MEDIO ponebātur SACRA EVANGELIA, & lignum sanctæ crucis, & omnes Catholici Episcopi & Abbates intromittebantur, unà cum alijs Laicis: quos ipsi uicarij sedium adducebant, aut quos ipse Imperator loco sui aut secum adesse uolebat.

Tertiò,quòd per actiones distinctas secundum dies, res tractabantur,& per sessiones expediebantur,& in scriptis legebatur cuiusque propositio in alto pulpito.

Quartò,quòd materia fidei prius tractabatur,& audiebat synodus utriusque partis allegationes,uidebat originalia & principia librorum,& totius allegati capituli tenorem,ne syncopatè allegatus sensus,corruptè adductus fortè foret:& cuncta ista maturè,palàm & publicè,cum recognitione & librorum & allegationum perficiebantur.

Quintò,quòd secundum testimonia SCRIPTVRARVM decreuit synodus.

Sexto,quòd post hæc de pace ac reductione lapsorum, compositione litigantium,de partium consensu,& ultimo iudicialiter præmisso partium in synodis compromisso , de causis se intromittebat,ut reclamatio minus locum sibi uendicaret.

Septimò,quòd in qualibet actione in fine surrexit Notarius, qui dixit laudes Imperatori,per multa adiectiua, cōparādo ipsum aut Constantino aut Martiano:extollendo mores & studium Religiositatis eius. Laudes etiam quinque Patriarchis dixit,& senatui & synodo æternam memoriam.

Octauò,quòd statuta simul & semel,in fine & ante conclusionem publicabantur,in duabus partibus synodi, inferiori & superiori,alta uoce,per Episcopos aut metropolitanos. Subsequebatur conclusio de omnibus gestis concorditer,in qua causa conuocationis & cœpta summaria cōclusio inserebatur,unà cum professione fidei:& laici & principes nihil definitiuè dixerunt (contrarium est suprà ostensum) sed sollicitando,& exhortando,& dirigendo interfuère.

Vltimò,subscriptio adijciebatur,quæ uaria,quo ad ordinem inuenitur:sicut & sessionis ordo,in alijs & alijs concilijs. Post uicarios patriarchalium sedium,subscripserunt se in octaua synodo Imperatores,Basilius & Constantinus:deinde Episcopi alij, ac insuper Senatus profitebatur,se acceptare synodum.& hoc fuit per Notarios annotatum.Hactenus Cusanus.

In hac forma synodi hæc præcipuè obseruentur. Primùm,

quòd dicit sacra Euangelia esse in medio synodi proposita: quod significauit Christum esse in medio, secundũ suam promissionem: eumq́ in sua sacra Scriptura audiẽdum esse, ut suprà ostendimus.

Secũdò, q́ publicè in tota synodo sit facta accurata disputatio, allegante utraq́ parte sua iura, omnesq́ necessarias ad cognitionem rationes. Tertiò, quòd affirmat patres diligenter omnes causas & utriusq́ partis allegationes cognouisse, omniaq́ suis oculis inspexisse. Quartò, quòd synodus secundum sacras Scripturas, & non secundum hominũ figmenta pronũciauerit de controuersijs.

Tales aliquot synodi regulas idem Cardinalis etiam tertio Capite eiusdem libri, de ueterum sententia recenset. quem locũ etiam adscribemus:

Et non est numerus (scilicet patrum) adeò necessarius, sicut LIBERTAS & unanimitas. 34. q. 1. alienus. unde Agatho, scribẽs Constantino loco prætacto, de Patribus in sexto concilio congregandis, inquit:

I.

Verbum impunitatis & liberam loquẽdi facultatẽ unicuiq́ loqui uolenti pro fide, quam credit & tenet, concedite. Quatenus ab omnibus manifestissimè cognoscatur, quòd nullo terrore, nulla potestate, nulla comminatione uel auersione quisquam pro ueritate loqui uolens prohibitus ac repulsus existat. Et iterum:

II.

Oportet quòd priuatæ causæ Religionis obtentu nõ exerceantur. Vnde Leo Papa ad Theodosium Imperatorem, de errore synodi Ephesinæ dicit: Dum priuatæ causæ Religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod uniuersam Ecclesiam uulneraret.

III.

Comperimus non incerto nuncio, conuenisse ad synodum plures sacerdotes, quorum utiq́ frequentia consultationi & iudicio profuisset: si is qui sibi locus principalem uẽdicabat, sacerdotalem moderationem uoluisset custodire, ut (sicut moris est) omnium sententijs ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo cõstitueretur ex animo, quod & fidei congrueret, & errantibus subueniret. In

ipso

ipſo autem iudicio non omnes qui conuenerāt interfuiſſe cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromiſſos, qui ſupra dicti ſacerdotis arbitrio captiuas manus impijs ſubſcriptionibus dederunt: quòd nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent. Talemq; ab eo prolatam ſententiam eſſe, ut dum unus homo impetitur, in omnem Eccleſiam ſæuire uideretur.

Ecce nunc Eſſentialia ad uniuerſale concilium, ubi Vniuerſalia tractari debent, quod non ſecretè, ſed publicè, omnibus liberrima detur audientia. Et ſi tunc concordanti ſententia aliquid fuerit diffinitum, per ſpiritum S. cenſetur inſpiratum, & per Chriſtum, in medio congregatorum in eius nomine præſidentem, infallibiliter iudicatum. Tale fuit Nicenum concilium, de quo legitur in geſtis Calcedonenſi concilij, quòd ſpiritus S. manifeſtè ibi patribus præſederit. Hæc Cuſanus.

Hactenus dictum eſt de ueteri forma ſynodi, aut ratione inquirendi ueritatem. Nunc contrà pauca quædam de iſta noua aut Papiſtica, qua Tridenti uſi ſunt, & utuntur, dicamus.

Extant publicè narrationes uarijs linguis, quibus multiplices fraudes præſentium conciliabulorum, præſertim Tridentini, recenſentur, quarum hæc eſt ſumma:

Primùm, dogmata & canones maxima ex parte omnes cuduntur, & omnia præſcribuntur Romæ à Pontifice, & ſuis quibuſdam idoneis artificibus & architectis, monachis & alijs ſophiſtis. Ea perpetuò ultro citroq; curſitantes ueredarij Roma Tridentum, ad legatos Pontificios, transferunt: adeò ut ſit iā in illis locis uulgare prouerbium, Poſtam mox Roma allaturam in mantica aut crumena ſpiritum S. Quo uulgò deridetur impia ſimulatio Tridentinorum impoſtorum, qui ſimulant, ſe ibi orando, diſputando, conferendo, & ueritatem inquirendo, Canones, Spiritu (qui totam ſynodum regit) ſuggerente condere: uim omnia Roma, à Papæ ſpiritu cudantur, & ad ipſos iam definita, ut ea modò promulgent, afferantur.

Secundò, ubi legati Pontificij, qui ſynodo præſident, mentem ſimul ac canones, reliquaq; agenda, à ſuo Sanctiſsimo accipiunt, mox conuocant ſuum quendam Senatulum intimorum, aſtutiſ-

ſimorum, & Pontifici addictiſsimorum artificum (quos ille eis tanquam collegas aut intimos conſiliarios adiunxit) cumq; illis de adornanda fabula, & omnibus fraudibus ad rem neceſſarijs, ac denique de modo ad publicationem & confirmationem conſultat, & omnino totius futuræ actionis & ſeſsionis ideam architectatur.

Tertiò, iubent legati in ſpeciem oſtentationemq;, ueluti ſi canones pararentur ad futurã ſeſsionem, quoſdam Monachos & Theologos coram ſe, aliquibus Cardinalibus, & aliquibus Epiſcopis diſputare, de materia aut loco, de quo breui determinandum ſit. Vbi maximo clamore aliqui, uel ſoli tantum ſecum contendunt, primùm noſtra aliqua leuiora argumenta peſsima fide recitando, mox eadem ſoluendo aut exagitando: uel etiam cum alio, dum alter ſimulat ſe noſtras partes tueri, alter pontificias. Et tandem ex compoſito, alij quidem ueluti uictores obtinent uictoriam, & confirmant Pontificias ſententias: alij uerò, qui contrariam ſententiam defenderant, tanquam uicti cedunt. Sicq; errores Papæ contra uerbum Chriſti, noſtrasq; Eccleſias, uictoriam obtinent.

Denique quarto loco ſumma ſolennitate conuenitur in ſummum templum, ubi in ſpeciem ſanctitatis plurimis ceremonijs & operoſiſsima Muſica decantatur Miſſa de ſpiritu S. ut ſcilicet Deus eis ueram ſententiam in promulgandis dogmatibus inſpiret: cum ſint à Papa omnia iamdudum decreta. Poſt quam Miſſam omnes epiſcopi ſuis ſacris ueſtimentis & precioſiſsimis mitris redimiti, & inſtar ſcortorum compti, in loco precioſiſsimis pannis ac tapetijs ornato, in ſuis ſedibus conſident. Leguntur ex ſuggeſtu Canones. & tandem ſancti Patres ſeu epiſcopi ordine magna grauitate capite annuunt, & hanc unam, ſed ualdè myſticam uoculam adijciunt: PLACET. Atq; hæc actio & locus uocatur Seſsio.

Obſeruanda igitur ſunt diligenter plurima diſcrimina inter ueterem & iſtam nouam ſynodi formam, quorum tamen nos nunc, breuitatis ſtudio, pauca recenſebimus.

Primùm, olim actiones & decreta conciliorum prorſus non pendebant ab aliquo, alibi procul agente domino, aut epiſcopo, Romano aut alio: ſed ibi à Patribus poſt examinatam & inuentam

tam

tam rei ueritatem unanimiter conscribebantur.

Secundò, olim Patres sanctissimis iuramentis obstringebantur ac promittebant, se summa diligentia ueritatem & publicum bonum inquisituros, ac promoturos. Hîc contrà, sunt tantùm Pontifici summis iuramentis, atque adeò horrendis diris, idque sine omni exceptione aut conditione iuris, conscientiæ aut publici boni, adeò deuoti, ut (sicut & suprà indicauimus) si etiam ipsam ueritatem contra eum dicant, teste Pio II. contra iuramentum suum faciant. Ad inquisitionem autem, & liberam ardentemque ueritatis & publici boni in synodo promotionem, nullo iuramento obstringuntur. Quod profectò extrema reprehensione dignissimum, nulloque modo ferendum aut tolerandum est, cum etiam in minoribus iudicijs ac deliberationibus iudices senatoresque ad summam curam studiumque iuris uel publicæ utilitatis, arctissimis iuramentis apud omnes gentes obstringantur.

Tertiò, olim præsidentes prorsus nihil habebant iuris, authoritatis & actionum, nisi ut in publico consessu essent custodes pacis, & directores actionum ac dicendarũ sententiarum, ne aliqua confusio aut turbæ exorirentur. At nunc Præsidentes cum illo suo paruo senatulo, omnia pro arbitrio disponunt, regunt & peragũt, solique reuera omnem potestatem synodi obtinent, iubentes, abigentes & retinentes, quem, quomodo, & quando uolunt.

Quartò, olim Episcopi tenebantur per sese omnes controuersias in synodo agitandas & dijudicandas cognoscere, ac liquidò peruestigare: nunc uerò etiam legere tantum nostros aliorumque, quos illi Hæreticos uocant, libros, plerisque illorum seueriter prohibitum est, ut suprà audiuimus.

Quintò, olim omnia publicè agebantur, proponebantur, disputabantur, & tandem definiebantur, in illo maximè primario loco, quem iam Sessionem uocari diximus: idque coram tota synodo, nemine prorsus excluso. At nunc in alijs quibusdam angulis omnia tractantur & peraguntur, coram paucis quibusdam, pro arbitrio legatorum. Publicè autem, nihil nisi conclusa decretaque sententia aut canones recitantur.

Sextò, olim ipsimet Rei & Actores suas causas egerunt, suas'ue

senten

sent ntias defenderunt, pro uiribus arbitrioq; suo. At nunc, pro arbitrio legatorum Papæ deliguntur quidam personati histriones, qui personam Lutheranorum (ut isti nos uocant) sustineant, nostrasq; sententias & rationes malitiose ac fraudulenter, pro suo arbitrio, ac in extremum contemptum & perniciem ueritatis, qualitercunq; proponunt, seq; facillime uinci patiuntur.

Septimò, olim solennes congressus synodi uocabantur Actiones: nunc tantum Sessiones. Non est autem de nomine, sed de re lis. Nam tunc in tota ea consessione agebatur de proposita causa rectè, plenè, perfecteq; cognoscenda, ac piè determinanda, erantq; laboriosissimæ consultationes ac sententiarum collationes. Nunc tantum conueniunt eò episcopi, ut ipsi in suo splendido satrapicoq; cultu, in loco ornatissimo, & cathedra suæ maiestatis, aliquot horas sedeant, & tandem unicam uoculam PLACET, dicant. Itaque uerè sunt ociosæ aut somnolentæ sessiones. mutorum canum aut scenicarum laruarum: & non laboriosæ actiones synodi, aut patrum, de grauissimis controuersijs piè agentium ac laborantium.

Postremò, ne in hac parte nimis diu immoremur, olim ipsimet episcopi aut iudices pronunciaturi de controuersia, omnia summa diligentia cognoscere, perscrutari ac perspicere cogebantur, ne quid de re ignota temerè statuerent. At nunc alij omnia tractant, cognoscunt aut supprimunt negotia: Episcopi uerò nihil aliud sunt quàm mutæ personę in theatro: solū unū mutū, unumq; PLACET aut AMEN in publico consessu dicunt, de ijs rebus ac negocijs quæ maxima ex parte prorsus non intelligunt: prout eis eorum pędagogi, Papæ legati, & pauci monachi præscripserunt.

Atque hæc immutatio aut metamorphosis synodi prorsus res noua, & ueteribus inaudita incognitaq; est. Nam adhuc in Constantiensi & Basiliensi concilio, ante annos centū, omnia acta propositaq; sunt, ab ipsismet ueris actoribus: & omnia à synodi patribus aut episcopis, sunt coram cognita, discussa & examinata: ibiq; denique, post plenam examinationem ac discussionem negociorum, facta conscriptaq; sunt decreta, à Patribus, unanimi consensu, prout rei ueritas ac Ecclesiæ Dei utilitas postulare ipsis uisa

uisa est. Quæ nunc omnia sublata euersaq; sunt, ut superius per partes copiosius ostendimus.

Ne autem fingere quid in hoc genere uideamur, satis probationis potes, Christiane Lector, non tantum ex eo habere, quòd ista peruersissima synodi forma, ut & prius indicauimus, non solum uarijs ac publicis scriptis est narrata, nec ab aduersarijs refutata: sed etiam ex ipsa editione concilij Tridentini iam sæpius recusa. Nam omnes synodi hactenus hic editæ sunt, & olim etiam in primitiua Ecclesia sic publicari solitæ fuerunt, ut non tantum canones aut decreta, sed etiam ipsæ Actiones & Disputationes, & singulorum episcoporum dicta ac sententiæ, quid singuli in agenda & in inquirenda ueritate de unaquaque controuersia aut sententia publicè dixerint, censuerint'ne, euulgarentur. Nunc contrà, istius synodi canones sunt euulgati. Neque enim reuera habentur ulla ipsorum episcoporum acta, utpote qui nihil ibi agunt, quemadmodum etiam ut in talis rebus quicquam agant, idonei sunt: sed tantum quædam occultæ aut semipriuatæ monachorum & sophistarum quorundam rixæ & clamores occultè consignantur & asseruantur.

Quare si Patrum aut Episcoporum acta quis ab eis exigeret, & quæreret quid iste, quid ille, quid tertius, quid quartus, decimus aut centesimus, seu quid Episcopus huius aut illius loci pronunciarit, de hoc aut illa controuersia aut sententia, in synodi actionibus: responderatur tibi necessariò, Dixit unum PLACET: aut diceretur tibi, Omnia acta, dicta aut sententiæ Episcoporum synodi Tridentinæ, sunt centum aut 200 PLACET. En habes eorum acta.

Hinc igitur potes liquidò & ex ipsa experientia cognoscere, quàm prorsus alia sit ratio aut forma præsentis synodi, quàm omnium aliarum à Christo usque ad nostra tempora.

Cum igitur u[illegible]us, sana ac Christiana forma synodi, aut ratio agendi, inquirendæq; ueritatis nunc sit penitus sublata, & in istam Antichristianam tyrannicamq; (uti aliunde probatum est) commutata: nullo profectò modo iste Tridentinus conuentus Christiana synodus iure dici aut haberi potest.

Si quis sanè omnino depingere, aut aliqua similitudine illustrare ueram formam istius conciliabuli uellet, non posset profectò commodius, quàm collatione cuiusdam noui generis ludicrarum præstigiarum, ubi unus uel duo præstigiatores in occulto sedent latitantes, qui motis quibusdam instrumentis, producunt in theatrum spectandas uarij generis imagunculas aut puppas, multa inter sese tanta specie agentes, ut imperitum uulgus, præsertim pueri, sæpe putent eos reuera uiuere, ac suo arbitrio prodire & agere quæ agunt: cum sint reuera tantum ligneæ puppæ, alieno arbitrio & arte, nempe illorum abditorum impostorum, agitatę. Quo spectaculo homines quidem, præsertim imperiti, uariè afficiuntur, tanquam si res seria uereq; acta fuisset. Omne autem lucrum ac cōmodum cedit illis occultis artificibus, & totius illius lusus architectis. Nam ut cum scenicis lusibus conciliabuli istius acta ac negocia conferantur, nimis magnum quid fuerit: cum longè plus industriæ laborisq;, ab illis scenicis personis in agenda comœdia, plus etiam utilitatis, honestatis ac fructus, quàm ab hisce laruis exigatur, expecteturq;.

Hinc uerò ex tam corrupta forma synodi expende Christiane Lector, etiam illud quod superius tractauimus: nempe, quàm prorsus non cōueniat illi cœtui generalis synodi nomen, ubi adeò Monarchicè, aut certè Oligarchicè per paucos omnia geruntur: & ubi plerique omnes episcopi tantum mutæ personæ sunt, paucissimisq; rebus aut negocijs agendis intersunt, imò ubi illi non nisi pro forma adhibentur, ut seruiliter & adulatoriè, contraque conscientiam de rebus ac sententijs prorsus ignotis, unico capitis nutu & unica uocula PLACET, iuxta alienum arbitrium pronuncient.

Experientia ipsa redarguitur synodus Tridentina.

HActenus ergo, Dei beneficio, abundè ostensum demonstratumq; est, nullam istarum proprietatum, quæ pro Ecclesiæ Dei concilio adesse deberent, præsenti Tridentino conuenticulo conuenire: non esse legitimum, non liberum, non in loco conuenienti, non Vniuersalem aut Oecumenicum, denique non etiam Christianum.

Vnde

Vnde porrò potenter necessarioꝙ sequitur, non tantum non esse unà cum suis decretis magnifaciendū aut audiendū, sed etiam extremè detestandū ac execrandum: utpote quod in perniciem ueritatis, & contēptum ludibriumꝙ totius Ecclesię, atꝙ adeò, etiā totius humani generis, ac ipsius uiuentis Dei, eiusꝙ dilecti filij, ab Antichristo Rom. sic comparetur, & toti mundo obtrudatur. Verè enim est diabolicum fermētum, aut potius stercus Romani Pontificis: ut spiritus S. per Doctorem Martinum Lutherum P. M. illud anno 1545, in publica & nota figura Pontificis in sue equitantis depinxit, & prophetico quodam more mysterioꝙ orbi terrarum prædixit: cum à plerisque sapientibus huius mundi, uel pro deliri senis nugis, uel pro acerbi aduersarij contumelijs typi illi acciperentur.

Ne autem solis rationibus ac testimonijs agamus, reiꝙ indignitatem falsò (ut aliquibus fortè uideri potest) exaggeremus, cum ipsius synodi conditio essentia'ue fortè ac pro istorum opinione multò melior ac sanior sit, ipsam uiuam experientiam (quæ pro certissimo teste aut rei indicio semper haberi solet) in medium hactenus protulimus, & nunc quoque compendio proferemus: qua ex eius partibus, actionibus & progressu ostendemus, nihil in ea sani aut Christiani esse, quin nec Carnalibus quidem impijs'ue hominibus, aut denique Barbaris, Turcis aut Tartaris probari posse: eoꝙ summa ac plusquam tyrannica iniuria & contumelia Ecclesias nostras à Romano Pharaone affici, quod tam fœdum conciliabulum nobis pro uera Christianaꝙ synodo, & pro legitimo totius Ecclesiæ in maximis controuersiis iudice obtrudatur.

I.

Vt enim rem altius non repetamus, primum totius Imperij Decretum toties in solennibus Comitijs, aliquoties etiam præsentibus Pontificijs legatis, iteratum, renouatum, ac sanctè confirmatum, uti synodus alicubi in Germania, in aliqua ampla & commoda ciuitate conuocetur: est planè uiolenter, nulla uel qualicunque specie iuris, uiolatum: & longè alibi, in

III.

Tertiò, ut eo maiori nos crimine grauarent, & magis cruentum ciuileq; bellum excitarent, finxerunt se nobis ob alias causas quàm ob Religionem, bellum inferre. Sed tamen tandem Pontifex pluribus scriptis cõfessus, testatusq; est, se aliosq; suos prælatos & patronos Religionis causa nobis bellum illud mouisse.

IIII.

Quartò, cum tunc non tantum nobis, sed & alijs omnibus Septentrionalibus, Orientalibus ac Occidentalibus (ut sunt Vngari, Poloni, Sueci, Dani, Germani, Angli, & Galli) omnem aditum ad concilium sanguinarijs militibus armisq; fernis per biennium, nempe toto anno 1546 & 47 præcluserit, & pleraq; decreta eo tempore condiderit: nihilominus eas quoq; sanctiones ac decreta, pro uniuersali, legitimo, libero Christianoq; concilio nunc uenditat.

At quomodo tunc tale Concilium, non dicimus reuera, sed sola aliqua umbra aut specie Christianum esse aut dici potuit, cum omnia eius armis & crudelissimo latrocinio uexarētur ac uastarentur?

Res quoq; certa est, quòd tum anno 1546, in eo conuentu, Vergerium & quosdã alios Episcopos audire aut inter patres ferre no luerunt: quibusdam uerò etiam periculum creauerunt. Quod etiam anno 1551 accidit, ubi propter unam paulò liberiorē uocem Episcopus Chiocensis oppidi, quod est prope Venetias, nomine Iacobus Nachiantes, adeò malè tractatus fuit à legatis, ut Romam usq; ad Papam deprecatum culpam proficisci coactus fuerit. Talis libertas ibi dicendæ sententiæ ac ueritatis ipsis pontificijs Episcopis conceditur. Quid igitur nostris doctoribus tandem concederetur?

V.

Quintò non multo pòst, Pontifex facta coniuratione aut conspiratione cum alijs Monarchis, summa fraude in grauissimũ damnum Imperatoris, Germaniæ, & totius Imperij, subitò suum conciliabulum discidit, maximamq; illorum bicornium Patrũ partem Bononiam in suam propriam ciuitatem trãsfugere fecit: remanentibus Tridenti solis ijs, qui partis ac factionis Imperatoriæ erant. Nec potuerunt postea diu ullis machinis illi transfugæ ad locum

concilij ab ipsomet Pontifice indictum reduci, donec planè suo arbitrio dilaberentur.

Quo facto Deus orbi terrarũ monstrare uoluit, tũ illud conciliabulũ Antichristo addictissimũ, & ad omne fas ac nefas, solumq; eius nutum promptum paratumq; esse. tum etiam, tam nefariã ibi conspirationem, tanquam omnem libertatem iuri, iustitiæ ac ueritati Dei præclusam sublatamq; esse: ut nec ipsi quidem Imperatori, Germanicis episcopis & toti Imperio, ac alicui non minimæ parti illius ipsius mitratorum cœtus aut cõciliabuli, quæ Tridenti remanere nolebat, esset possibile suum ius (ut Cæsareus legatus abundè exposuit) obtinere: nedum ut nobis debilibus afflictisq; IESV CHRISTI ministris, nostrisq; Ecclesiolis tunc eorum armis miserabiliter diuexatis, laceratis & oppresis, ulla libertas aut facultas suum ius obtinendi potuisset.

Scripta ac Protestationes & Actiones ea de re tunc inter Episcopos Germaniæ, Imperatorem, Papam & conciliabulum commutata ac proposita, publicè impressa habentur: & tota etiam ea historia plenissimè à Sleidano descripta est.

Reipsa ergo tunc Deus etiam ipsis Pontificijs Episcopis, Principibus & Monarchis, totiq; orbi terrarum monstrauit, adeò ut etiam suo ore nobiscum fateri cogerentur, publicisq; scriptis ac protestationibus coram toto mundo testatum facerent & proclamarent, nullam in illis Antichristi Romani conciliabulis libertatem, nullum fas ac ius esse, ac concedi cuiquam, uel summo ac potẽtissimo Monarchæ, aut etiam integris Regnis ac gẽtibus, maximæq; totius Christianitatis parti: sed omnia cõspirationibus, fraude, uiolentia, ac fœda tyrannide Babyloniæ illius Semiramidis agi, administrariq;.

Homini Spirituali attenteq; bella Domini & mirabilia eius spectanti, ualde iucundum ac salutare spectaculum fuit, uidere & audire eosdẽ illos magnates, qui antea minis, uarijs technis, & deniq; etiam armis ac extrema uiolentia istud conciliabulum obtrudẽtes indesinenter clamitauerant, & ingesserant esse liberam, esse legitimam, esse uniuersalem, ac deniq; Christianã synodum: postea conuersis rebus ac temporibus, tam solẽnibus actionibus, publicisq; scripto-

ſcriptionibus coram toto mundo teſtari ac proteſtari, illos patres eſſe Papæ factionibus ac iuramentis obſtrictos, nullum ibi ius ac fas obtineri uel à ſe uel ab alijs poſſe, resq́ ibi fraude & malis machinationibus Papæ ſeruorum agi ac inuolui.

At nunc (proh dolor & proh pudor) tale, tamq́ tyrannicum conciliabulum, nihilominus illi ijdem, qui antea id pro nefario (ut diximus) conciliabulo tam ſolēnibus actionibus publicisq́ ſcriptionibus proclamauerant, denuò alijs eius partibus tanquam legitimum Chriſtianiſsimumq́ addunt, & pro uno concordi Chriſtianoq́ concilio ac Eccleſiæ Dei rectiſsimo incorruptoq́ iudicio ab omnibus coli obſeruariq́ uolunt.

VI.

Sextò, in illo ſchiſmate conciliabuli Tridentini, pars quæ iuſſu Pontificis Bononiam conceſſerat, quantumuis tam multi ac potentes Monarchæ, Principes & Epiſcopi (ut dictum eſt) ſolenniter reclamarent, nihilominus quædam Decreta Acta'ue ibi conſarcinauit ac publicauit, quæ etiam ipſa nunc reliquis admiſcentur, & pro unius unici legitimeq́ celebrati concilij decretis uendi tantur: non habita ratione, quòd contra illud ſchiſma & Bononienſe conuenticulum Cæſar, totum Imperium & reliqui Patres, qui Tridenti remanſerant, ſolenniter proteſtati fuerint. Quàm id iuſtè legitimeq́ fiat, conſiderent omnes homines. Sed nimirum in opprimenda ueritate, Religione & Eccleſia, nulla iuris, legum aut iuſticiæ ratio habetur, aut unquam habita ſpectataq́ eſt.

VII.

Septimò, ſummam fuiſſe ſpurcitiem Patrum & fratrum Tridentini conciliabuli, anno 1546, & poſtea 51, & deniq́ nunc 62, tota ea uicinia, imò & remota quoq́ loca teſtantur, clamant & canunt. Notiſsimum enim eſt, etiam nō ita dudum duos Epiſcopos ob adulteria ibi interfectos eſſe: alterum quidem uenabulo cōfoſſum: alterum (ut fertur) mira induſtria mariti, poſito in feneſtra, qua ille Spiritualis pater noctu ad eius uxorem irrepere ſolitus fuerat, laqueo, feræ beſtiæ inſtar captum, ac ſtatim ſuſpenſus, ita ut mane eum in platea de feneſtra dependentem omnes ſpectarint. Nec mirum ſanè eſt talia accidere, cum pleriq́ illic agentes patres aut

prælati,

prælati, sint Romani Curtisani. quorum pudicitia est superis, inferis & medijs notisſima, & orbi terrarum decantatisſima.

Qualis'nam hæc sit pietas, qualis'nam Spiritualitas & Spiritus, non est cuiuis difficilè, uel rudisſimo, ratiocinari. Illud quidem certò constat, quod pleriq; illic honestiores ac potentiores ciues, suas uxores, filias, ac etiam minores filios, aliò ablegauerint, ne ab illa sacrosancta synodo, suo sacro chrismate inungerentur & confirmarentur. Quid tu à tam castis patribus pietatis, sanctitatis, honestatisq; expectares?

VIII.

Octauò, constat ex historia Sleidani, & alia quadam itidem impressa, quàm nō uoluerint Anno 1552 ullum tolerabilem saluum conductum (ut uocant) aut diploma publicæ fidei & securitatis dare illi Patres, quibusdam Theologis Germaniæ, eò profecturis: ac ne tale quidem, quale olim Basiliensis synodus, cum quidem pro hac reipsemet Cæsar & totum Imperium instaret ac intercederet, ut eis rectè plenisſimeq; caueretur. Et illi in publico decreto 11 Octobris anni 1551 testati sint, se summo desiderio aduentum Protestantium expetere & expectare.

Quid quæso illa recusatio plenisſimi salui conductus aliud indicauit, testataq; est, quàm uel absterrere uoluisse illos mitratos patres, Germanicos nostrarum'ue Ecclesiarum Theologos, ne uenirent: uel si uenirent, eos meticulosiores obnoxioresq; reddere, ut uel nunquam liberè loqui auderent: uel deniq;, si omnino multi uenirent & aliqua occasio eos perdendi sese offerret, facilè illi in mala fide conscripto securitatis diplomate, aliquam interpretationem & excusationem suæ crudelitatis ac perfidiæ reperirent?

An non hoc quoq; euidenter euincit, ibi liberam synodum nequaquam fuisse, cum uitæ securitatiq; adeuntium, nec ita quidem cauere illi purpurati Patres uoluerint, sicut priores synodi factitauerunt: cum quidem singulari studio hac de re, etiam ab ipsa Cæsarea Maiestate, eiusq; legatis actum laboratumq; fuisset, & id ter ac grauiter à toto Imperio decretum constitutum solenniq; esset?

Nonò

IX.

Nonò, in eisdem monumentis, præsertim in libello D. Vergerij, prolixè narratur: tum, quàm uarijs contumelijs sint Tridenti legati ac Theologi Vuirtebergici, & Argentinenses affecti uexatiq́: tum etiam, quàm nullam prorsus auditionem in publico ordinarioq́ consessu impetrare potuerint, quantumuis pluribus mensibus, multumq́ ibi institerint ac solicitauerint, instātibus etiam illustribus uiris Cęsareæ Maiest. oratoribus, cum quidem ore & scriptis suppliciter ac propter Deum orarent, se secundum tot promissiones Cæsaris, totius Imperij decreta, & deniq́ largissima splēdidissimaq́ illius ipsius synodi promissa audiri, quæ scripta sunt etiam eidem editæ narrationi inserta.

Cæsarei quoq́ legati tandem rei indignitate permoti, prædictis Theologis responderunt, se protestari, quòd omnem diligentiam ac laborem adhibuerint, in impetranda eis auditione: uerùm frustra laborauerint, quòd nulla sua culpa acciderit.

Sic ergo tandem illi uarijs contumelijs affecti, & non auditi, contra tot Cæsarea & ipsorum Tridentinorum patrum promissa, coacti sunt abire. Quid igitur profuit aut illos tunc eò profectos fuisse, aut nūc quenquam eò proficisci, cum nec promissa ulla seruentur, nec ulla libera facultas agendi ac loquendi eis detur, imò cum nec semel quidem rectè audiantur?

Hinc tu Christiane lector cogita, tum quàm malè metuant suæ desperatissimæ causæ isti lucifugæ: tum etiam, quàm nullum æquum ius, nullamq́ libertatem, aut agendi facultatem, nostris hominibus causæq́ Religionis amplissimæ ac iustissimæ ibi illi concedere uelint.

Pergant igitur sanè isti immanissimi ueritatis hostes esse soli iudices, accusatores ac rei: exclusisq́ omnibus nostris ecclesiis ac doctoribus, pro libitu in ista sua arce & factioso manipulo aduersariorum ueritatis decernere quæ uolunt. Antichristus enim certè, eiusq́ blasphemæ abominationes, tali, & non alio processu dignæ sunt. Deus quoque uicissim suam synodum suo tempore celebrabit, & irridebit eos.

Non possetsine summa prolixitate tota ea narratio & uexatio Germanicorum Theologorum ac legatorū plenè ac ordine exponi. Quare leuiter solùm tactam, prætermittendam prorsus censuimus. Tu uerò Christiane Lector, eam ipsemet uide, perlege ac expende. Miraberis profectò hominum illorum extremam malitiam multiplices astutissimasq́ fraudes, & extremam impudentiam ac tyrannidem.

Decimò, rectè inquit Dominus ac Seruator: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Omnes seductores, & impiæ synodi, omnium optimè ex sua falsa doctrina, aut (ut idem Dominus dicit) ex ore suo cognosci possunt.

Deberemus igitur & nos hoc loco prolixè ac solidè refutare omnia impia dogmata in tot sessionibus trium istorum fragmentorum aut laceramentorū istius impuri cōciliabuli promulgata: inde enim liquidissimè & potētissimè demonstraretur & euinceretur, istam catenam coitionemq́ non Christianam, sed potius Pharisaicam, aut etiam Paganam, omni iure censendā nominādamq́ esse. Verùm quoniam complures synceri doctores bonam operam hactenus in refutandis prædicti conuenticuli blasphemijs nauarunt, atq́ adeò etiam proximè idē actum est in quorundā nostrûm libello, titulo Norma & praxis, qui huic adiungi poterit: ideo in prædictis refutationibus, perinde ac si hic insertæ essent, acquiescemus.

Vnum illud tātum adijciemus, memorabilem esse fraudem istorum seductorum in damnanda fiducia aut certitudine fidei, quam Catharinus recenset, cuius uerba in libro Disceptationum contra D. Soto hæc sunt: Sunt autem capitales articuli quinque, De certitudine gratiæ, De prædestinatione, De natura peccati originalis, De potentia liberi arbitrij in statu naturæ lapsæ, deniq́ De desertione ac induratione Dei.

Primùm cum in synodo de hac re sermo incidisset, exquiri à Theologis cœptum est simpliciter, An homo iustus & Deo dilectus possit quouis modo certus esse suæ sibi inhærētis gratiæ: nec de modo aut genere certitudinis exquirebatur. Et cum alij simpliciter inficiarētur, certitudinem: ex aduerso surrexerūt, qui tum Scripturam, tum sanctorum Patrum sententijs ualidè certitudinem

compro=

comprobarent. Quorũ autoritati cum priores nequirẽt obsistere, tunc orta est distinctio de certitudine: & cœpistis cõfiteri, esse quidem nonnullam certitudinem, sed non fidei certitudinem. Sed cum etiam fidei certitudo patrum testimonijs probaretur, dixistis non esse certitudinem Catholicæ fidei, aut tantam quanta est fidei catholicæ: cui asserto nullus repugnauit.

Secundò suppono, imò ex eo quod iam præsuppositum est, deduco contra hanc nostram sententiam, quæ non nostra est, sed sanctorum Patrum, nihil pronunciasse synodum Tridentinam. Quod ergo in primo meo detexi libello, quem ad præsidentes ipsi concilio (quorum alter nunc, Deo gratia, est summus Pont. Iulius tertius) & ad ipsam sacrosanctam synodum destinaui, eos alloquens his planè uerbis:

Addo quòd sæpius hoc protestati estis ambo uos præsidentes, & specialiter in hac controuersia tum in conuentu patrũ, tum uerò in congregatione Theologorũ: & ambos audiuimus contestãtes, non uideri sibi quęstionẽ hanc discussam satis ad decisionem. Imò ipsamet sacrosancta synodus bis declarauit huius rei definitionẽ tunc omittendã esse, & in aliud tempus seruandam: sicut in Actis poterit apparere. Deniq; ipsemet titulus noui capitis hoc manifestat abundè, qui sic habet: Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Alia item argumenta ibi & in Expurgatione nostra hanc circa rem attexui, quibus quàm latissimè comprobatum reliqui, hanc inter Catholicos disceptatam controuersiam, non solum non fuisse decisam à sancta synodo: uerùm etiam nec nunc, optimis rationibus, ut reuerendissimi legati admonuerunt, decidi quidem potuisse, eo quòd quæstio per se tum implicita ac sinuosa nostris disputatiõibus, nihilq; magis reddita esset clarior, quin potius obscurior. Nam tua inconstantia eò rem deduxisti, ut uix nunc intelligam quis status sit quæstionis, & utrum positioni nostræ aduerseris: ita obscurè ac perplexè semper locutus es, modò aiens, modò negans, ut qui malam causam tuetur, qui ui argumentorum huc illuc fluctuans propellitur.

Omnino apparet hinc & ex tota plurium prolixorum ac editorum scriptorum concertatione, quam Dominicus de Soto &

Catharinus aliquot annis inter se habuerunt, quæque & disputationibus conciliabuli exorta est, eos suam Scholasticam doctrinam de natura, libero arbitrio, fide & gratia, nequaquam tueri posse. Quòd si inter sese ibi adeò dissenserunt, quid nō accideret, si essent liberæ uoces Episcoporum, sicque nostris doctoribus publicè in synodo eorum errores ex uerbo Dei confutare liceret.

Spiritus conciliabulis Papæ præsidens.

IActant illi impudentissimè & impiètissimè, omnia sua decreta sibi à Spiritu sancto inspirari. At contrà quis & quàm sanctus Spiritus Papæ cōciliabula, ipsius legatos ac præsidentes, atque adeò & ipsosmet Papas regat, satis eis Deus mirabilibus factis ac euentibus ostendit, cum eis Spiritū eos regentē, tum olim perhorrēdum bubonem in concilio Rom. Papæ, Ioannis 23, & nunc in hoc Tridenti per horrendum canem, & ueluti infernalem Cerberum depinxit. In qua re ne quid fingere uidear, fidedignorum autorum Nic. Clemangis & Sleidani historias ad uerbum adscribam. Sic enim habet Clemangis in libro de Concilijs uniuersalibus:

Quid autem aliud quàm carnales sunt, qui concilij negocia clamose, passionaliter & iracundè, cū iurgio & amaritudine tractant? secundum illud Apostolicum: cum sint inter uos zelus & contentio, nonne carnali estis? Ex statu quippe & habitudine congregatorum magna ex parte pendere uidentur euentus atque diffinitio conciliorum, quoniam plerunque, secundum merita poscentium, Deus postulata concedit uel abnegat. Duo nanque iam ante pauca tempora super schismatis absolutione facta concilia, & in ambobus à uotis & spe excidimus, utinam in tertio istius uoti compotes simus. In secundo autem illorum conciliorum audisse te arbitror, quid contigerit. Res nempe ita peruulgata fuit, ut uix aliquem latêre potuerit, quàm illo tempore ex ueridico comperi autore, & qui me minimè fallere (ut puto) uoluisset, & quam paucis (si fortè non audisti) uolo referre. Conuocauerat ante quatuor fermè annos Romæ concilium Ecclesiæ, maxima quorundam compulsus instantia, Balthasar ille perfidissimus, nuper ex Petri sede (quā turpissimè fœdabat) eiectus, in quo paucissi-

paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus qui affuerant Italicis ac curialibus, sessiones aliquot tenuit, in rebus superuacuis, nihilq; ad utilitatem Ecclesiæ pertinentibus tempus terendo consumptas. Cumq; ante primam Concilij congressionem, pro inuocatione sancti Spiritus solito fuisset de more Missa celebrata, ubi Concilium assedit, ipseq; Balthasar in parata sibi cathedra sublimior præsedit: ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis semper nuncius, è latebris suis erumpens, cum sua illa horrifica uoce continuò aduolat, super trabemq; templi mediam, oculis in Balthasarem directo intuitu coniectis astitit. Cœperunt uniuersi mirari, quòd nocturna auis & lucifuga, diurna luce in turbę mediũ aduenisset, malumq; omen ex prodigio non immeritò auspicabantur. En (inquiebant suppressa uoce alter ad alterum) in specie bubonis spiritus adest. Cumq; cæteri & se mutuò & Balthasarem spectantes, uix risum tenerent: Balthasar ipse, in quem solum ille fixa acie oculos intenderat, rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit. tandemq; non inueniens, qua alia ratione posset suæ tantæ confusioni consulere, soluto Concilio surgens abscessit. Secuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet, ut credo, minimè uocatus) bubo adesse non omisit, uerso semper in Balthasarem contuitu. Quem ille rediisse conspiciens, maiori quàm prius uerecundia meritò conturbatus est: nec illius ultra ferre præualens conspectum, fustibus illum terrificis'que clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec uocum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis effugere uoluit, donec fustium crebris ictibus acerrimè pulsatus, in conspectu omnium exanimis decidit. Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Roma ueniebat: super quibus cum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me uehementissimè adiuratus, uerissima se retulisse confirmauit. Addebat autem, omnes qui aderant, in magnum contemptum atq; irrisionem Concilij ex hac re adductos, paulatimq; toto dilapso Concilio nihil illic prorsus actum esse fructuosum.

Perspice igitur, quantæ uidentur posse occasiones deceptionis aut fallaciæ, aut frustrandi irritandiq; Concilij incidere, siue ex ca-

pitis indignitate, ut in illo forsitan Concilio, de quo modò loquebar: siue ex maioris partis aggregatorum indispositione, quæ ad gratiam spiritus S. percipiendam non est ritè parata, quæ non nisi puras gaudet mentes inuisere. Vnde sanctus Propheta rogando dicturus, Spiritum rectum innoua in uisceribus meis: qui scilicet rectè agere doceat, & falli non sinat, non immeritò præmisit, Cor mundum crea in me Deus: tanquam certissimè cognoscens, se non nisi corde mundato rectitudinē Spiritus, quæ illum in agendis, ne falleretur, dirigeret, posse consequi.

En habes diuinam ocularemq; patefactionem, qua Deus impias Antichristi eiusq; mancipiorum gloriationes, aut potius blasphemias, quæuis sua impura commenta spiritui S. tribuentium redarguit: ostendens, tam esse similem Spiritum eos regentem spiritui S. quàm est feralis abominabilisq; BVBO simplici, innoxio & amabili columbæ. Verùm in Tridentino conciliabulo Anno 1552, ipsum infernalē Cerberum summo eius Gubernatori Cardinali Crescentio, in suo musęo, locoq; meditationum, consiliorum & scriptionum monstrauit: ut ipse alijq; certò scirent, cuiusnam Spiritus essent. Posteriorem hanc historiam hisce uerbis Sleidanus lib. 23 recenset:

Paucis deinde lapsis diebus, Cæsaris etiam oratores abeunt. Crescētius uerò Legatus, (summus Concilij pręsidens) ualetudine detentus hærebat: is nocturno spectro perterrefactus, ut aiunt, & ægrotare, simulq; cœpit uitæ desperare, quantumuis etiam familiares atque medici eum consolarentur. Neq; falsum erat eius iudicium: nam inualescente morbo, Veronæ decessit. Atq; hic quidem est exitus Concilij, quod magnis animis instauratum, doctrinam Pontificiam omnino recuperare, ac breui constituere cogitabat. Aderant præter legatos Pontificis, & Cardinalem Tridentinum, Episcopi sexaginta duo, & in his Germani octo, Hispani uigintiquinque, Sardi duo, Siculi quatuor, Vngarus unus Agriensis, reliqui omnes Itali: Theologi uerò quadraginta duo, & in his undeuiginti Hispani, Germani, & Belgæ duodecim.

Qua ceperit occasione Crescentius Legatus ægrotare, constitueram silentio præterire, quòd suspicio erat in eius inuidiam esse

confictum:

confictum: sed quoniam ipsius amici & familiares, qui decumbentem aliquando consolati sunt, ita referunt, addendum esse putaui. Martij die 25, scribendis literis ad Pontificem ualdè fuerat occupatus, & laborem ad noctem usq; continuauit. Ibi surgens, ut sese reficeret, ecce uisus est illi canis quidam ater, magnitudine inusitata flãmantibus oculis, auribus ad terrã propè demissis ingredi, & ad ipsum rectà cõtendere, deinde sub mensam dilabi. Perculsus & obstupefactus, ubi demum sese collegit, famulos inclamat, qui in anteriori erant cubiculo: iubet adferri lumen, & inuestigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in uicino quidem conclaui, grauem suscepit cogitationem, & in morbum incidit, ut antè dixi. Moribundus etiam subinde suis acclamasse fertur, ut canem qui lectum conscenderet, arcerent.

EPI

EX hisce hactenus tã prolixè disputatis liquidò indubitanterq́ constat, Synodum Tridentinam nec legitimam, nec liberam, nec in loco conuenienti, nec denique Vniuersalem aut Oecumenicam esse: omnium autem minimè Christianam, aut à spiritu S. regi, eoq́ etiam ab omnibus Christianis contemnendam, fugiendam, atque adeò abominandam ac detestandam esse. Fatemur autem interea libenter & ultrò, tantam esse huius causæ magnitudinem, tam multis etiam rationibus argumentisq́ abundare, tantam denique ac tam multiplicem istius impij conciliabuli iniustitiam & præuaricationem, ut plurima sint à nobis compendij breuitatisq́ studio omissa, uel alioqui etiam non animaduersa, quæ pius ac diligens auditor per sese obseruabit ac expendet.

De loco sanè, quàm incommodus sit Tridenti, & quàm omni iure ac ratione in Germania deligi debuisset, potuissent multo plures rationes afferri. Sed quia ipsimet aduersarij etiam in publicis scriptis idem nobiscum senserunt & asseruerunt: ideo eò breuius eam partem tractauimus. Videat uerò Christianæ Veritatis cupidus frater, uel unum Friderici Nauseæ Episcopi Viennensis, de ea materia Viennæ Anno 1545, editum opus, inueniet ibi plus satis causarum, cur omnino in Germania, & nusquam alibi synodus conscribenda, peragendaq́ omnino fuisset. Censet enim ille, probatq́, adductis plurimis firmissimisq́ rationibus, non tantum in Germania synodum habendam esse, sed etiam certum eius locum præscribit, nempe, uel Coloniam, uel Ratisponam. Quinetiam affirmat, omnes Monarchas in id iam consensisse, ut omnino in hac regione Concilium celebretur. Cuius uerba amplioris fidei gratia adscribam. inter alia enim sic inquit:

Prorsus intelligo Monarchas ipsos non in hoc solum consensisse, ut Oecumenica synodus habeatur: uerùm consensisse quoque, ut hæc ipsa synodus tam diu multumq́, totq́ dudum modis ab omnibus expectata, non alibi quàm in Germania tandem coeat: nec restare nisi de cõmodo quopiam Germaniæ loco sub iudice litem: & de eo quidem loco, tanquam de re, quo ad cõciliaria negotia,

negotia, magni profectò momenti præcipuè censeri, in futuris Ratisponæ Comitijs disputatum iri: cumque ego, uelut expertior quispiam ciuitatum Germaniæ cognitor, iampridem à non uulgaris autoritatis hominibus (inter quos facilè præcipuum te posuerim) rogatus sim, ut edicam quę Germanię ciuitatũ ad ipsam mihi Oecumenicam synodum commodior uideatur, & aptior: committere non potui, nec debui quidem, quo minus & in hac re dubia meum adaperirem iudicium. Hæc ille.

Porrò de illegitimo processu uel hæc duo sola expendantur. Primùm, quòd adeò præcipitanter Pontifex in ista controuersia, nulla omnino iuris habita ratione, agat, ut non tantùm olim, contemptis omnibus nostrorum legitimis ac ordinarijs protestationibus, prouocationibus & appellationibus ad synodum, statim nos nostrasq; Ecclesias, ac ueritatem Christi ipsam, quam confitemur, damnauerit: sed etiam postea, quoties synodum conuocauit, aut saltem conuocare se simulauit. Quid tali iudice potest esse iniustius, qui statim in ipsa citatione, citatum condemnat? Quo iure igitur posthac ulla potestas Romano Pontifici in synodo concedetur, cum ille nec propriæ quidem synodi aut iudicij, quam iamiam in procinctu habet, cognitionem ac condemnationem præ ingenti odio ueritatis expectare queat: quin antea quàm id conueniat, consideat & cognoscat, ipse protinus solus iudicet ac pronunciet, & omnia pro suo solius libitu libidineq; decernat?

Alterum in processu synodi considerandum est, quòd cum nullum sit in istis terrenis politijs tam paruum tribunal, aut de tam paruis rebus iudicet, quin iudices eius legitimè ac ordinariè grauissimisq; iuramentis sese obligare cogantur, se non tantum ex æquo utranq; partem audituros, & ueritatem omni studio inquisituros ac executuros, sed etiam secundum certa præscriptaq; iura ac Leges dijudicaturos, omniaq; acturos executurosq; esse: At patres isti in synodo non tantum nullis talibus iuramentis initio suæ cognitionis obstringuntur, sed etiam prorsus contrarijs extremè obligantur ac inuoluuntur. Extremè enim impio & planè seruili iuramento, ut & suprà indicauimus, obstricti & incatenati

ſunt Antichriſto Romano, quod eum omnemq́ eius dignitatem, potentiam & libitum libidinemq́ tueri ac promouere uelint, citra omnem iuris, pietatis, publici boni, aut gloriæ Dei exceptionem.

Hiſce duobus & illud tertium adde, quòd cum ipſimet Pontifices in tot actionibus, ſcriptionibus ac reformationibus confiteantur, & clament ſe, ſuam ſedem & Aulam ſeria ſeueraq́ reformatione extremè indigere: Nuſquam tamen clarè ac firmiter promittunt, ſe uelle ſynodo ſubijci, aut pati, ut ab ea in ulla parte reformentur, emendentur aut caſtigentur. Contrà uerò innumeras ſcriptiones hactenus ediderunt, quòd ipſi ſint ſupra ſynodum, poſsintq́ pro arbitrio eius decreta uel comprobare, uel irrita facere. Sicut & Paulus III. contendit in publicis ſcriptis, ſuum eſſe iudicare de Tridentina ſynodo, rectè'ne aut ſecus fecerit, quod Tridento Bononiam migrauerit.

Cum uerò, teſte Hadriano Papa, ut ſuprà audiuimus, ex ea ſede & Aula, tanquam ex Capite, omnis morbus ac deformitas in Eccleſias promânet: quomodo poſsibile eſt, manente impuro fonte omnis mali morbiq́ à capite in Eccleſiam fluentis, per iſtud Conciliabulum rectè riuum repurgari & mundari?

Verùm quid neceſſe eſt denuò in iſtam ingentem copiam enormitatum, defectuum, atque adeò ueritatum iſtius abominandæ deſolationis Conciliabuli immergi, quæ nunc uerè in loco ſancto cum ſuo Antichriſto ſtat, uolens de Religione ac Eccleſia IESV CHRISTI ſine Scriptura, imò & ſupra atq́ adeò etiã contra ipſam Scripturam, cui ſeſe uiuentis Dei filius ſubiecit, iudicare: ut clarè eius proprij ſcriptores editis ſcriptis profitentur, ut in Norma eius oſtenſum eſt?

Oſtendimus uerò ſimul in præcedentibus ſatis dilucidè, tum nos nequaquam ueram, piam ac legitimam ſynodum, aut ullam omnino rectam cognitionem, diſputationem aut lucem iudicij piorum ac Eccleſiæ Dei defugere: tum etiam, qualis'nam uera pia ac ſalutaris ſynodus eſſe deberet. Ad quam ſicut maiores ac præceptores noſtri ſemper prouocarunt & appellarunt: ita nos quoq́ nunc hoc ſcripto uerè, ſyncerè ac ex animo prouocamus. Cuius

noſtræ

nostræ Christianæ ac seriæ uoluntatis, iustissimæq; appellationis, Deum ipsum, unicum cordium cognitorem, eiusq; dilectam sponsam Ecclesiam, omnesq; uerè pios, testes facimus ac inuocamus.

Esset fortè etiam locus dicendi de Prouinciali synodo, alijsq; Ecclesiæ iudicijs & processibus, ac omnino & de tota ratione disceptandi ac inquirendæ dijudicandæq; ueritatis Religionis, per legitimam Scripturarum sacrarum scrutationem, quæ solæ teste spiritu S. possunt nos erudire ad salutem, & utiles sunt ad doctrinam, redargutionem, correctionem & institutionem: uerùm prolixitatis uitandæ gratia hæc omnia iam omittemus. Tractabitur autem fortè, Christo benedicente, hæc necessarijssima materia, ab aliquo nostrûm, proprio scripto, per occasionem. Certè laudari non potest, quòd aliqui quasi desperant de omni fructu colloquiorum ac disputationum cum aduersarijs: multoq; etiam minus, quòd non omni studio ac diligentia ab utraq; parte uera, solida ac salutaris disceptandi & disputandi de Religione ratio ac uia ex unico omnis sapientiæ fonte, nempe ex Verbo uiuentis Dei inquiritur ac commonstratur.

Regredientes ergo ad institutum nostrum, idq; iam concludentes, testamur ac protestamur nos, quorum nomina infrà scripta sunt, pro nobis alijsq; nostris fratribus, coram Deo, eiusq; cœlesti & terrestri Ecclesia, coram Imperio, totoq; Mundo, prouocare ad legitimam Christianamq; synodum, siue ea uniuersalis, siue prouincialis, beneficio Dei nobis contingere queat: & ad omnes alias uerè pias, Deo probatas & ueritati Ecclesiæq; salutares disputationes, disceptationes & cognitiones præsentium controuersiarum, à quocunq; demum homine illæ uerè excogitari ac demonstrari quàm aptissimè poterunt.

Testamur etiam, & protestamur, nos Tridentinũ Conciliabulum nullo modo, aut pro uera synodo, aut ullo pio legitimoq; iudicio Religionis in Ecclesia agnoscere: sed pro turba spiritualium latronum, summa fraude ac scelere contra Ecclesiam ac ueram pietatem, unà cum suo Antichristo Romano grassantium, seséq; contra ac supra Deum in templo eius secundum diuinas sacrarum li-

terarum prophetias efferentium ac extollentium. Quod suprà multis firmissimisque rationibus, atque adeò ipsa rei euidente ueritate & uerbo Dei probauimus.

Denique testamur & protestamur, quòd siue istud impium conciliabulum in suo nefario conatu furoreque contra ueritatem ac Christum progrediatur, & tandem executionem per suos patronos ac satellites, uel gladiorum uiolentia, uel etiam alijs malis artibus & nefarijs conatibus urgere uolet: siue alioqui Antichristus cum suis, aut perpetua dudumque incœpta persequendi ratione, uel per aliquod nouum Interim, aut alias aliquas pessimas artes consiliaque in nostras Ecclesias grassabitur: id omne genus machinarũ Satanæ contra omne ius ac fas, diuinum & humanum, ab eis agi tentarique: eoque pro inualido, uel potius scelerato ac nefario latrocinio grassationeque ab omnibus hominibus habendum, damnandum ac detestandum esse. Nos enim semper nos promptos ac paratos ad omne ius ac fas, ad omnem iustum rationabilemque processum, & tandem ad omnem legitimam ueteri Ecclesiæ usitatam, Religioni conuenientem, in sacris literis præscriptam, & denique à Deo comprobatam rationem agendi de præsentibus controuersijs obtulimus, & etiamnum promptè ac spontè offerimus. Summum uerò nefas est, contra eum ui aut fraude grassari, qui sese legitimo iuri processuique sponte uolens & promptè offert.

Ostendimus suprà, & alioqui notissimum est ex tot editis scriptis & actionibus, Lutherum, P. M. aliosque nostros doctores ac Ecclesias, atque adeò etiam politias & politicos gubernatores, sæpius tales appellationes ad legitimam liberamque synodum, recusationes istorum fraudulentorum & uiolentorum conciliabulorum Antichristi, & denique iustissimas protestationes contra omnia nefaria machinamenta ipsius, patronorumque eius opposuisse. Quorum scriptorum actionumque non paucæ narrationes ac summæ in Sleidani authentica iam Historia recensentur. Quin etiam nuperrimè in frequentissimo conuentu tale quid à multis præstantibus solenniter actum, & publicè editum esse, nobis certò constat.

Verùm quoniam finis, cùm in alijs controuersijs ac litigantibus

bus

bus personis, tum præsertim in Religione ac Ecclesia, uerum, plenum ac solidum ius, eiusq; executio non nisi à Deo ipso præstatur, inde tantum meritò expectatur: ideo quotquot Deum timemus, iam quoque conuertamus oculos ac cor nostrum ad patrem Domini nostri Iesu Christi, eiq; contra istum Babylonici Pharaonis furorem ardenter conqueramur, ei nostras appellationes, supplicationes, recusationes & protestationes proponamus & offeramus. Non negliget profectò ille preces suæ afflictissimæ Ecclesiæ tandem perpetuò: sed denique expergiscetur ueluti fortis gigas à uino, maximo zelo accensus, & istũ nefarium Antichristum eiusq; coniuratos ac mancipia, ueluti rabiosos quosdam uentos contra nauiculam pusilli cœtus grassantes ac furentes, potenter reprimet ac retundet.

Exurgant igitur omnes pij, & coniunctis uotis, ueluti instructo cuneo aut acie, audacter perrumpant ad thronum gratiæ: ibiq; per & propter illum nostrum unicum æternumq; sacerdotem, plenarium auxilium liberationemq; contra istam horrendam desolationem Abominationis, uerè nunc in loco sancto stantem, & sese contra ac supra Deum omnemq; uerum eius cultum efferentem, ardentissimè petant ac flagitent: certò statuentes, quòd & uerax & omnipotens sit ille pater misericordiarum, qui per filium suum toties & tam sanctè pollicitus est, quòd quicquid ab ipso per & propter filium suum petierimus, id certò impetraturi simus.

Dominus Iesus, unicus Michael & propugnator noster, conterat satanam, eiusq; organa ac mancipia, præsertim uerò Antichristum Romanum sub pedibus Ecclesiæ suæ, omniumq; piorum, ad gloriam nominis sui, & salutem miserorum hominum, quos iste Arctolycus nefariè & horribiliter seducit: Amen.

SVBSCRIPTIONES.

Simon Musæus sacræ syncerægẞ Theologiæ doctor.
Tilemannus Heshusius Sacræ Theologiæ Doctor.
Georgius Cœlestinus Doctor.
Ioannes Fridericus Cœlestinus Doctor.
Nicolaus Gallus superintendens Ratisponensis.
Vuolphangus Vualdnerus concionator Ratisponensis.
Ioannes Vuigandus superintendens Vuismariensis.
Matthæus Iudex M.
Ioachimus Vuestphalus pastor Hamburg. M.
Petrus Trimersheim M. & pastor Lubecensis.
Georgius Reich M. & pastor Rostochiensis.
Matthias Flauius Illyricus.
Hieronymus Rausher concionator & M.
Antonius Otho pastor Northusanus M.
Andreas Poach pastor Erfordensis M.
Bartholomeus Rosinus superintendens Vuinariensis M.
Alexius Bresnicerus superintendens Aldeburgensis.
Ioannes Kleinauu pastor & M.
Martinus Vuolphius pastor Calensis.
Vuigandus Grosher pastor.
Ioachimus Madeburgius.
Ioannes Fabricius concionator & M.
Franciscus Burcardi M. & superintendens Vuilnensis.
Benedictus Morgenstern M. & superintendens Tornensis.
Dauid Schefer, pastor Saltzungensis.
Petrus Egerdes M. & superintendens Gothanus, exul Christi.
Vuilhelmus Radensis concionator Madeburgensis.
Georgius Neccerus pastor Lindauiensis.
Ioannes Scheltling superintendens Harburgensis.
Michaël Schultheis pastor Creutzbergensis.
Conradus Perca pastor Halberstadensis.

Timo.

Timotheus Neocorus pastor Dachuuicensis.
Christophorus Reiter pastor in Austria.
Vuolphgangus Rupertus olim concionator Alberti marchionis.

Et alij complures, suo aliorumq; fratrum & Ecclesiarum CHRISTI nomine.

☞ NORMA SIMVL ET PRAXIS CONSTITVENDAE RELIGIONIS AC ECCLESIÆ, DIRIMENDARVMQVE CONTROVERSIARVM, IAM PONTIFICI ET SYNODO RECEPTA AC VSITATA:

Vnde liquidò animaduerti poteſt, quid boni inde ſperari ac expectari debeat.

NICOLAVS GALLVS.

Hosius Cardinalis, legatus Sanctissimi, & præsidens Concilij Tridētini in suo libro de Expresso Verbo ait: Nos uerò Dei de cœlo sententiam potius expectabimus, ac tum istos pro sua, non pro Scripturarum sententia dimicantes, tum IPSAS etiam SCRIPTVRAS, quarum tot iam non diuersas modò, uerùm & contrarias interpretationes adferri uidemus, FACESSERE iubebimus: & quod nobis cœlestis ille Magister dignatus fuerit reuelare, tanquam expressum Dei uerbum, ea, qua par est, reuerentia recipiemus. Et mox: Non oportet Legis aut Scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum. VANVS est labor, qui Scripturæ impenditur. Scriptura enim creatura est, & EGENVM quoddam ELEMENTVM (*Macte uirtute, sic itur ad astra.*)

EX XVI. LIBRO SLEIDANI.

Alteram quoq; Lutherus tunc emisit ridiculam quidem, sed futuri prænunciam picturam. Sui pontifex insidet ornatus, amplę & mammosæ, quam calcaribus duriter fodit: dextræ digitis duobus pollici proximis, de more protensis, benè precatur ijs qui fortè occurrunt: Sinistra tenet oletū recens atq; fumans. Ad eius nidorem porca suspicit, & rictu naribusq; prædam captat. Ille uerò per ludibrium, & acerbè bestiam increpans: Vt me sessorem (inquit) habeas, & calcaria mea perferas oportet, quātumuis id inuita facias. De Concilio mihi satis iam diu molestiam exhibes, quo me traducas & liberè criminari possis: en illud, quod tantopere petis Concilium. Per porcam designat Germaniam. Hæc illius ludicra pleriq; taxabant, ut parum ipso digna, neq; satis uerecunda: sed suas ipse rationes habebat, quamobrem ita faceret: & longius prospicere credebatur. & extant alioquin in illius libris passim uaticinia multa de rebus grauissimis, quorum nōnulla iam comprobauit euentus, reliqua sunt adhuc in manu Dei posita. Fuit IDEA Concilij.

CHRISTIANO LECTORI ARDENS STVDIVM VERITATIS, ET ODIVM perfectum Antichristi Romani, eiusq; abominationum desolationis,

VERE optimaq; cõscientia affirmare, atq; adeò etiam sanctè coram Deo iurare possemus, nos ipsos non putasse, ita prorsus horrendas & simul palpabiles blasphemias & abominationes, in regno Antichristi grassari, quàm quotidie legentes eorum scripta, subindè magis ac magis deprehendimus. Nam, ut cætera iam omittamus, consideretur illud solummodo, quòd omnipotens ac uiuus Deus ex immensa misericordia certam doctrinã aut uerbum generi humano, ac præsertim Ecclesiæ suæ, scripto proposuit: mandauitq; seueriter, ut eam Scripturam neglectis omnibus reuelationibus & apparitionibus uel mortuorum, uel angelorum, scrutetur ac meditetur die ac nocte: quoniam in ea sint uita & salus ipsi reposita, possitq; ea in omnibus difficultatibus ac necessitatibus, siue in docendo ac instituendo, siue in redarguendo ac refutando adeò solidè absoluteq; hominibus succurrere, ut omnis pietatis studiosus in plenum perfectumq; hominem in Christo per eam erudiatur. Et deniq; adiecit ad summam commendationem, tantã esse istius Scripturæ ac uerbi firmitatem, ut cœlum & terra potius sint transitura ac interitura, quàm uel unicus eius apex aut iota.

Verùm contrà tantus est nunc, & aliquot sæculis antea fuit, furor Antichristi, eiusq; seductorum, ut hanc ipsam uiuentis Dei scripturam, autoritate ac cõmendatione ipsius cœlitus humano generi propositam, propalam pedibus conculcent, & se suaq; impia decreta aut dogmata supra Deum, eiusq; uerbum audiendos, sequendos & adorandos collocent, & toti mundo tum maliciosa fraude, tum & sanguinaria uiolentia obtrudant. Quod sanè si unquam illi antea impiè & crassè fecerunt, tum præsertim hoc tempore cùm in aliis suis actionibus & conatibus, tum præsertim in suo Tridentino Conciliabulo, cuius planè execrandã formulam aut normam, & simul praxin iudicij ac decernendi de præsentibus Religionis controuersijs, omnibus considerandam in hoc scripto proponemus. Quàm uerò id multipliciter, fœdè, & penitus blasphemè faciant, postea ex ipsorum scriptis liquidò monstrabitur. Nunc (ut in Præfatione) pauca quædam tantum per antithesin monemus, ut rectius Lector de tota hac re iudicare possit.

I.

Clamant illi, Scripturam esse obscuram, & ambiguam, ex qua certa & perspicua sententia de controuersijs sumi nequeat: eoq; aliam quandam magis perspicuam institutionem quærendam esse. Quod cum singulari contumelia ac horrenda blasphemia ab eis fit. Ea enim huius Diabolicæ calumniæ uis est, quasi Deus uel noluerit, uel etiam non potuerit clarè suam sententiam uoce aut scripto eloqui, miserisq; mortalibus ueram salutis uiam commonstrare. Quis ex eorum infimis seductoribus aut rudissimis asinis ferre posset, ut alterutrum horum sibi tribueretur? Nemo fermè inter omnes homines est, exceptis planè

nutis,qui non putetur posse utcunque sui animi sensa,si non eleganter ac praeclarè,at saltem uel mediocriter declarare,ut ab alijs hominibus intelligi queat? At solus Deus, cœli terræque creator, id uel non potuit, uel etiam malitiosè noluit præstare?

II.

Blasphemant illi nefariè,præsertim in Colloquio Vuormaciensi, Scripturam esse materiam litis. At Deus illam,teste Dauide,Paulo,& Petro, ut lucernam pedibus nostris,& regulam normamque omnis litis ac iudicij proposuit, sequique seuerissimè sub comminatione æterni exitij mandauit.

III.

Vociferantur,non omnia necessaria esse in ea comprehensa. At Spiritus S. eam dicit posse quemuis plenè ad salutem instituere,in omni genere institutionis,atque adeò integrum perfectumque,ac ad omne bonum opus aptum hominem in Christo formare. Hæc enim eius uerba sunt 2. Timoth. 3. At tu persistito in his quæ didicisti (scilicet in sacris literis) & quæ tibi concredita sunt,sciens à quo didiceris,& quòd à puero sacras LITERAS noueris, QVÆ te possunt ERVDITVM reddere ad SALVTEM,per fidem quæ est in Christo Iesu. Omnis SCRIPTVRA diuinitus inspirata est VTILIS ad doctrinam, ad redargutionem,ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in iusticia, ut INTEGER sit Dei homo & AD OMNE OPVS bonum apparatus.

IIII.

Clamant illi, Ecclesiam,id est Pontificem cum suis spiritualibus,esse supra Scripturam,& Papam posse ex plenitudine potestatis contra Apostolum & totum uetus Testamentum dispensare. At filius uiuentis Dei affirmat,se ipsum, licet sit creator cœli & terræ,adeò esse Scripturæ,uoluntate ac ordinatione Patris,in sua functione subiectum,ut quæcunque agat aut patiatur, ea ideo patiatur, ut tantùm Scriptura impleatur:nec quicquam aliud loquatur aut faciat, quàm uti mandatũ à Patre acceperit. Iohan. 12.

V.

Finguntilli,sibi ius ac fas esse, pro ratione temporum, hominum & aliarum circumstantiarũ,mutare ordinationem sacramentorum,& Scripturam quoque modò sic, modò aliter interpretari:sicut re ipsa modò damnant communionem sub utraque specie,& coniugium sacerdotum,ut horrendas hæreses,ac propterea pios homines ferro & flamma persequuntur,modò contrà,ut res licitas ac à Deo ordinatas concedunt. At contrà omnipotens Deus affirmat, suum uerbum manere in æternum.idque de isto ipso scripto uerbo in Nouo testamento sua uoce exponit,inquiens:quòd cœlum & terra sint citius interitura, quàm unũ iota aut apex de Lege,donec omnia fiant.

VI.

Blaterant illi, sensum Scripturæ non ex ipsa, sed ex Patribus esse petendum: seu illam ad doctrinam intellectumque Patrum & Conciliorum esse inflectẽdam. At contrà Deus non uult quenquam audiri, aut etiam salutari tantùm, nisi quatenus suam uocem affert,ad eamque sese inflectit & attemperat.

VII.

Negant illi Christum quicquam iussisse de Religione Dei scribi. Si Nouum testamentum & sacrosancta Euangelia tantum humana autoritate ac leuitate scripta sunt, quid eis uanius? At contrà Moses dicit, illum ipsum Deum, qui eos ex Aegypto eduxerit, quemq; Paulus ipsummet Christum fuisse affirmat, non tantum iussisse scribi, & sæpius describi Legis libros, sed etiam proprijs digitis Decalogum exarasse. Idē porrò Dominus etiam uoce sua coràm multipliciter in Nouo testamento Scripturam cōfirmauit, & ad eam omnes ablegauit. Quin & ascendens in cœlos disertè, Luc. 24. ex Scripturis ueram religionem propagari mandauit. Deniq; cùm præcepit omnes doceri de Deo dicens, Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, an non tum uocalem, tum & scriptoriam institutionem complexus est? Si uerè tota Scriptura est θεόπνευστος diuinitùs inspirata, quomodo potest absq; uoluntate ac mandato Christi, qui est uerus & uiuens Deus, esse conscripta?

Num ergo Paulus, Euangelistæ & Apostoli sine uoluntate ac mandato sui unici præceptoris, quem solum cœlitus audiri iussi sunt, Nouum testamentum humano arbitrio ac temeritate consarcinarūt? O nephas supra omne nephas, Ita'ne Nouum testamentum filij Dei contemnere & proculcare licet, ut sine Dei mandato, humano arbitrio libituq; conscriptum esse publicè scribatur & asseratur?

VIII.

Omnipotens ac misericors ille Deus, ob hoc ipsum conscribi suam Religionem uoluit, illaq; sacrosancta monumenta omnibus temporibus, contra omnes omnium Tyrannorum, ea abolere conātium, furores conseruauit: atq; adeò etiā munda ab innumeris mendis, quibus omnes etiam recens conscripti libri sunt contaminatissimi, præseruauit: ut genus humanum, præsertimq; dilecta Ecclesia certos ac infallibiles libros haberet, unde ueram ac synceram Religionem hauriret, & ne ulli homines aut Cacodæmones, siue summi Pontifices, siue sacerdotes, siue scribæ, eam ulla fallacia aut impostura suorum fermentorum, aut adulteratæ doctrinæ seducere possent.

At contrà Antichristus, ipsiusq; mancipia, & eorum pater Satan, ob hoc ipsum istud Dei uerbum extenuant, & cōtemptibile reddere sedulò conātur, ut eo spreto, homines illorum placita & inuenta, somniaq; & errores audiant ac sequantur, possintq; illi eis hac occasione quidlibet pro uera Religione colendum adorandumq; obtrudere.

IX.

Quis omnium Monarcharum, Regum aut Principum, uel etiam infimorum homuncionum, patiatur sua dicta aut edicta ab ullo suo seruulo, aut etiam alio homine negligi aut contemni, nedum inuerti ac peruerti? Quis etiam, si id fieri uideat, præsertim à propria familia, non irascatur ac clamet, seipsum, suam'ue maiestatem aut dignitatem à talibus contemni & proculcari?

At isti Scripturam aut uerbum Dei tam indignis modis defœdantes, proculcantes, ac pro libitu contrà decernentes, contendunt, citra omnem aut pudorem hominum, aut metum uiuentis Dei, se isto modo uel maximè tum Dei gloriam ac Religionem, tum & hominum salutem promouere.

Obser-

X.

Obseruetur deniq; ordo & modus furoris illorum, quo Antichristum Romanum supra Deum collocent. Certum enim est, in eo omnem Dei gloriam cultumq; hic inter homines consistere, si uerbum eius seruetur, ipse in suo uerbo audiatur, & secundum id colatur. At isti primùm hoc uerbum uiuẽtis Dei contemnunt, ut obscurum, ambiguum, mancum, & alijs innumeris defectibus laborãs, ut postea audiemus. Deinde dicũt Ecclesiam esse supra Scripturam. Tertiò contendunt, ipsorum Concilia, id est Papam cum suis cõiuratis mancipijs, repræsentare totam Ecclesiam, eorumq; sermonem esse unicam & infallibilem uocem Ecclesiæ ac Spiritus sancti. Quartò imperiosè pronũciant, Papam esse supra Concilium, posseq; ex plenitudine potestatis uel rata, uel etiam irrita facere Concilij decreta. Quomodo potest porrò altius Cacodæmon suũ istum Antichristum exaltare? An non hoc est, quod Daniel & Paulus prædixerunt, Antichristum sese in templo Dei ostentaturum, & supra Deum ipsum exaltaturum?

Deniq; nulli intelligenti dubium est, Diabolum regere & corporaliter inhabitare suum Antichristum, ac per os eius contra uiuẽtem Deum blasphemare. Sic ergo demum perspicuè palpabiliterq; cernimus, ipsum summũ Cacodæmonem & inferorum principem, per suum Antichristum, eiusq; decreta ac fictum nomen Concilij, sese supra Ecclesiam, uerbum Dei, & ipsum uerum ac uiuẽtem Deum, suumq; unicum creatorem sacrilegè extollere ac efferre.

¶ Sed iam audiamus ipsos Antichristi Pseudoprophetas ac seductores, ne quid de eis temerè cõfingere uideamur: & ut tum Norma eorum præsentis Conciliabuli & formandæ Religionis, tum & perpetua praxis omnibus, ex eorum proprio ore innotescat: omnesq; sibi ab eorũ infernali fermento cauere queant, qui quidem ueritatis, iusticiæ ac uitæ cupidi sunt.

Dominus IESVS CHRISTVS, unicus noster Rex, ac perpetuus sacerdos, caput ac frater, & deniq; noster Dominus ac Deus, defendat nos, ac ueritatẽ suam, contra nepharium Antichristum, eiusq; ministros ac satellites potenter, ad gloriam nominis sui & miserorum hominum salutem. Amen.

M. FL. ILLYR.

NORMA CONCILII TRIDENTINI, QVAM IN IVDICANDIS CONtrouersijs sequuntur.

NICOLAI CVSANI, POSTQVAM FACTVS EST *Cardinalis, sententia: de authoritate Ecclesiæ & Concilij, supra & contra Scripturam.*

DIcunt aliqui præcepto Christi obediendum esse primo loco, deinde Ecclesiæ: & si aliud præceperit Ecclesia quàm Christus, non Ecclesiæ, sed Christo obediendum. Certè in hoc est omnium præsumptionum initium: quando particulares iudicant suum sensum in diuinis præceptis uoluntati diuinæ conformiorem, quàm uniuersæ Ecclesiæ (*id est, Claude oculos, & dic: Non intelligo, quæ tu Christe mandas: ego Pontifices & sacerdotes audiam*) Iste uerò in Ecclesia remanet, qui (*Nota bene*) suum sensum præsumptuose non eleuat supra dictamen maioris partis Sacerdotum, quibus uerbum creditum est, & qui Christi legatione funguntur. In obediendo enim illi sententiæ, quam saniorem Ecclesiæ partem uidet affirmare, nihil periculi incurrit Christianus.

Veritas enim Cathedræ adhæret: quare membra Cathedræ unita, & Pontifici coniuncta, Ecclesiam efficiunt (*Nota regulam: Templum, templum Domini. &, Non auferetur lex à Sacerdotibus, &c.*)

Dices fortasse: Ecclesia hodierna non ita ambulat in ritu Communionis, sicut ante ista tempora, quando sanctissimi uiri utriusque speciei sacramentum necessarium esse, ui præcepti Christi & uerbo & opere astruebant. Potuit'ne tunc Ecclesia errare? Certè non. Quòd si non, quomodo id hodie uerum non est, quòd tunc omnium opinione affirmabatur? cum non sit alia Ecclesia ista, quàm illa? Certè hoc te non moueat, quòd diuersis temporibus alius atque alius ritus Sacrificiorum, & etiam Sacramentorum, stante ueritate inuenitur. Scripturasque (*Nota*) esse ad tempus adaptatas & uariè intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem uniuersalem ritum exponerentur, mutato ritu iterum sententia mutare-

O tur

tur. (*Nota: hoc est, Verbum Dei manet in æternum*) Christus enim, cui pater regnum cœleste, terrenumque tradidit, in utroque præsidens, miro ordine Angelorum hominumque mysteria pro temporum uarietate dispensat. Et quæ singulis temporibus congruunt, uel occulta inspiratione, uel euidentiori illustratione suggerit.

Quare etiamsi hodie alia fuerit interpretatio Ecclesiæ eiusdem præcepti Euangelici, quàm aliquando: tamen hic sensus nunc in usu currens, ad regimen Ecclesiæ inspiratus, uti tempori congruus, & salutis uia debet acceptari. sicuti de Baptismi forma Apostolorũ tempore, ubi in Christi nomine: & alio sequenti, ubi in Trinitatis nomine: ac post hoc, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti uarietatem legimus, secundum temporis congruentiam, salutem præstitisse: ipsumque diuinum præceptum, Nisi quis renatus fuerit, & Ite baptizate, interpretationem tempori congruentem absque errore recepisse uno tempore, currente usu ualidam: alio inualidam (*Hoc est, Ita & non*) Arguitur ex concordia tot interpretum, inspirationem diuinam credi debere: etiamsi inueniretur aliquid originalibus (*scilicet, mandatis ac institutis Dei*) uel detractum, uel additum: & hoc eodem instigante Spiritu actum, quo originale dictatum. Hanc (*Nota*) sententiam, radicem uniuersalium Conciliorum, in omnibus penè concilijs reperimus canonizatam: quæ ex unanimitate omnium, etiam paucis resistentibus, inspiratione diuina sententiam dictasse legitur (*Obserua hanc regulam Conciliorum Romanorum*) Fatuum est igitur argumentum, uelle uniuersalem ritum ecclesiæ ex scripturis prædecessorum arguere.

Videmus etiam in Scripturarum intelligentia, uarsa hominum ingenia uarios sensus explicare, uariamque authoritatis Scripturarum opinionem existere: possibileque fore, aut in authoritate earundem, aut in intellectu, inextricabilem dubietatem hominum mentes suspendere. Vbi erit solidum refugium peregrinantium? Certè in alio nullo, quàm in militantis ecclesiæ usu atque adprobatione: siue hæc sit circa Scripturam & eius authoritatem atque intellectum siue extra Scripturam in consuetudine accepta per ecclesiam. (*Nota: Verbum Dei, quod est lucerna pedibus hominum, & lumen semis Ecclesiæ uel hominum, debet sequi gressus eius, non præcedere.*) In his enim

firmitas

firmitas est, ut solida petra, ac ueritatis columna: non ut per scripturarum authoritatem ad Ecclesiam pergat, & eam, si cum Scriptura non concordat, iuxta priscorum aut suum intellectum in operis exercitio impunè spernere posſit, & Scripturæ inhærere.

Hæc (Nota) est omnium sanè intelligentium sententia, qui Scripturarum authoritatem, aut intellectum (ut Augustinus de euangelijs dicit) in ecclesiæ approbatione fundant, quæ unam accipit, & alteram abijcit: & non è conuerso, ecclesiæ fundamentum in scripturarum autoritate locant.

Posſibile non est, scripturam quanque, siue ipsa præceptum, siue consilium contineat, in eos qui apud ecclesiam existunt, plus authoritatis ligandi habere, aut soluendi fideles, quàm ipsa ecclesia uoluerit, aut uerbo aut opere expresserit. Si enim dictauerit præceptum, ut Dei præceptum in scriptis redactum, acceptãdum per medium ecclesiæ, authoritas manifesta reuerenter est amplectenda. Sin uerò Scripturam acceptat, & ipsam per communem usum etiam aliter quàm priores practicando intelligunt, ita cum tali intellectu authoritatem habeat. Si ut consilium dixerit Ecclesia, scripturam etiam in uerbis præceptiuis explicatam, uerbo uel praxi acceptandam, cum non habeat aliud authoritatis, quàm uti per Ecclesiam dictatur, non sunt ad uerba, sed ad experimentalem sensum Ecclesiæ obligati. Quoniam Ecclesia est, quæ non habet maculam neque rugam erroris & falsitatis est enim corpus Christi, qui est ueritas, & sic Spiritu ueritatis continuè uegetatur & regitur.

Dicet aliquis forsitan, quomodo Christi præcepta mutabuntur authoritate Ecclesiæ, ut sint tunc obligatoria, quando Ecclesiæ placuerit? Dico, nulla esse Christi præcepta, quàm quæ per Ecclesiam pro talibus accepta sunt: ut præhabitum est. Si igitur constat Ecclesiam illa præcepta, ut talia, laudare: illi, ut Christi præceptis obediendum esse nemo ambigit. Si uerò circa præcepti intellectum & eius expositionem diuersitas concurrit, aut ex loco, aut tempore: hic intellectus laudatus intelligitur, quem maior uel sanior pars uerbo aut opere approbat: eo non obstante, quòd

aliquando alius intellectus in practica uiguerit. Et non est hæc mutatio tanquam à minori authoritate, quàm Christi præcipientis dependens: quoniam Ecclesia, quæ est corpus Christi, & eius Spiritu uegetatur, nō aliud agit quàm Christus uult. Et ita mutatio ista interpretationis à Christi uoluntate, ita nunc uolentis & inspirantis dependet: sicut præceptum ipsum quondam iuxta illius temporis conuenientiam aliter practicatum, & propterea hæc ligandi & soluendi potestas nō minor est in Ecclesia, quàm in Christo.

Quare uniuersa Catholica Ecclesia, & ad (*Nota*) Petri cathedram cōglobata, à Christo nunquam recedet, qui ueritas est, cum qua Christus semper se mansurum pollicitus est (*Nota, quænam Ecclesia possit modò sic, modò aliter expressum uerbum* Dei *interpretari: nempe sanctissima Cathedra Petri, & osculantes beatissimos pedes eius.*)

Et consequenter in Nouo testamento uisum fuit post aliquot tempora irrationabile fore, quòd in sacris ordinibus existētes contraherent, similiter & solenniter uouentes: quod si facerent, separandos esse: qui tamen antè, tanquam à Deo coniuncti, separari non potuissent.

Quare manifestum est, sicut non iudicabimus Deum eos coniungere, quos Ecclesia iuxta temporis qualitatem rationabiliter non iudicat coniungibiles, licet hoc idem alio tempore antè & prius rationabile iudicauerit, ut de prohibitione usq; ad septimū gradum, licet etiam circa ipsas personas & qualitatem ipsarum nihil sit innouatum: Sic & iudicamus Deum per præcepta aliquando data non aliud præcipere uelle, quàm quod Ecclesia iuxta temporis conditiones rationabile iudicauerit uerbo uel opere.

Fortè cogitatis, in his dictis meis hoc dubiū remanere, ex quo reprehēnsionis uestræ sumimus argumentum. Puta dicitis: De Ecclesiæ potestate nemo Catholicus ambigit: sed quòd illa ueritatis columna sit, quæ cathedra Petri ac Romanæ sedi adhæret, nondū probatum est sufficienter. Iam hoc (*Nota, quis sit supra uerbum* Dei) per scripturas ab illa Ecclesia approbatas, Augustinus in allegato loco & alibi, Hieronymus ad Damas. 24. quæst. 1. Hæc est fides per Ambrosium, Athanasium, ac alios laudatos Doctores & Ecclesias, à principio hoc ex ore Christi prolatum, Tu es Petrus, & su

per

per hanc petram, uerum esse asseruit, docuit & prædicauit: & promissio Christi, quòd inferi aduersus ipsam nunquam præualebunt, (*Nota*) Ad eam Ecclesiam, quæ ad ipsam sedem tanquam primam unita est, pertineat, hactenus ueraciter tenuit, licet non omnes in ea sede succesiuè præsidentes in sanctitate prima perstiterint. Non tamen hoc Cathedræ obsuit, neq; obest, ut idem Augustinus in præallegata Epistola scribit. Veritas enim Cathedræ per Christum alligata est, quando dixit, supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite: non personis, quia ait, Quæ faciunt, facere nolite: credendum est, hanc sedem sacratissimam, quo ad locum etiam inexterminabilem. Et tamen, si caput Roma deficeret, ibi ueritas Ecclesiæ remanebit, ubi erit principatus & Petri sedes, modo prædicto. Et quia credita est potestas sacerdotio præposito populo, Sacramenta ad finē salutis, prout conuenientius iudicauerit, ministrare, &c. tunc patet præceptum communicandi necessariò esse conditionale, scilicet si animarum curam habenti uisum fuerit.

Quare si uniuersum sacerdotium, aut saltem maior pars cum cathedra Petri, quæ secundum sanctum Cyprianum errare non permittitur à Deo, uno tempore sic, alio aliter, propter ædificationem Ecclesiæ, aut baptizaret, aut Sacramenta ministraret, quia omnia hæc fiunt ad Dei reuerentiam, & animarum salutem, nō potest ibi cadere deceptio, qualescunq; fuerint personæ (*Nota: Religio & Scriptura est plumbea regula*, hat eine wechsene nasen.)

Noluit Christus eos astringere, quin cōuenientibus uerbis iuxta locum & tempus in ædificationem Ecclesiæ uterentur. Ministerium enim eis creditum respiciebat ædificationem Ecclesiæ: & ad illum finem, salua ueritate fidei, sine qua nemo potest esse membrum Christi, & de corpore eius, quod est Ecclesia, omnia potuerunt Apostoli, & possunt successores. (*Nota, nota benißime*). Ait enim Cyprianus: Manente concordiæ uinculo & perseuerante Ecclesiæ catholicæ indiuiduo Sacramento, actum suū disponit unusquisq; Episcopus, rationem propositi sui domino redditurus.

Ex præmissis constat, quòd tota catholica Ecclesia non potest ad literam Scripturarum obligari, licet semper ad Spiritū: quando

enim litera non seruit ædificationi & Spiritui, recipit id quod magis seruit Spiritui.

Non est igitur litera, quæ per tyrannum penitus deleri posset, de essentia Ecclesiæ: sed Spiritus est qui uiuificat. Quare nec mirũ, si praxis Ecclesiæ uno tempore interpretatur Scripturam uno modo, & alio tempore alio modo. nam intellectus currit cum praxi. Intellectus enim (*Scilicet Papæ, & eius mancipiorum*) qui cum praxi concurrit, est Spiritus uiuificans. Ecclesia igitur sicut recipit Scripturam, ita & interpretatur. Sequuntur igitur Scripturæ Ecclesiam, quæ prior est, & propter quã Scriptura: & non è conuerso. Et qui ad hoc non respexerunt, impugnarunt Ecclesiam frustra, & se segregarunt ab Ecclesia. Et hæc pertinax segregatio, per quam quis sensum suum, quem habet de scripturis, præponit Ecclesiæ, hæresis Græcè dicitur.

Adhuc fortè diceret aliquis: Christus dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Præcipit igitur, Sacramentalem communionem fieri in sui memoriam. Non negamus præceptum Christi esse, ut hæc sic fiant in Ecclesia, uti ipse fecit, & sic fit per successores illorum, quibus præcepit, &c.

SENTENTIA IURIS CANONICI DE ABSOLUTA POTESTATE PAPÆ.

De plenitudine potestatis Papæ plurimi recentiores scriptores grandia declamitãt, præsertim ipsimet Pontifices in suo Canonico Iure, quòd ille solus debeat iudicare de omnibus, & contrà nemo de illo: quòd habeat plenitudinem potestatis, quòd habeat omnia iura in scrinio suo pectoris sui, quòd sit supra Concilium & Ecclesiam: quòd nemo debeat dicere, cur hoc aut illud facis, quia sit ei pro ratione uoluntas: quòd habeat utrunq; gladium: quòd sit Dominus totius mundi, quòd sit Deus terrenus, quòd solus errare non possit: quòd si totus mundus sententiaret contra Papam, potius tamen sit Papa audiendus & sequendus. gl. 9. quæst. 3. quòd possit etiam dispensare contra uetus Testamentum, imò contra Apostolum & Euangelistam 15. quæst. 6. quoniam & ipsam legem ligare potest. Summa, quòd tanta sit Papæ potestas, ut si propalam innumeras animas sanguine Christi redemptas, in infernum traheret secum perpetuò cruciandas, nemo tamen ei contradicere, aut resistere debeat. Verba eius inter alia hæc sunt:

Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicãdi, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Et si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, multum remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quòd magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum uapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus.

Tantam potestatem cum Pontifex Romanus sibi adscribat, ut propalàm trahens Ecclesiam in infernum, non sit impediendus: & iam Tridentinum concilium planè in sua potestate per legatos, locum, & tot iuramenta, habeat: facile est ratiocinari, qualem normam ueritatis sit illis præscripturus, & qualem religionem orbi terrarum præformaturus.

LATOM

Der Latomus geht eben also mit der H. Schrifft vmb/wie die andern jetzige Papisten:nemlich das er (do sie jme vnd allen menschen gegeben ist/das sie als ein klares liecht in disem jemmerlichen finsternthal fürleuchten/vnd er jhr nachfolgen solte) fein meisterlich die ordnung gar vmbkeret/das sie jme vnnd seinen mitpapisten nachfolgen solt/wo er sie nur hin bey der nasen oder bey den oren mit gewalt zyhet. Er thůt aber solches durch eine Schwenckfeldische behendigkeit/nemlich das die heylige Schrifft nur ein stummer todter bůchstab sey. Sein aber vnd seiner mitpapisten verstand / weißheit vñ geist/ sey der rechte Geistliche verstand der Schrifft / dem man allein folgen sol vnd můß. Nun folget sein Text/den ich nach der lenge erzelen wil.

¶ Wie sprichstu? Woltestu das Euangelium diser ding beschuldigen? Nicht ein meyt das Euangelium/sonder die so das Euangelium fürwenden/vnd nicht halten/dasselb rechter Euangelischer weise nicht füren: sich des friedens/brůderlicher liebe/vnd gůthertziger neigung gegen allen menschen nicht erzeigen: sondern allein dahin arbeitē/ wie sie jhre sache vertheydigen/durchdringen / vnnd denn platz allein behalten mögen. Soll man dann die warheit nicht predigen? Ja sag ich/ man soll die warheit nicht allein predigen/ sondern auch wo müglich / in die leute giessen/dieselbe auch gegē den feinden der rechten waren Euangelischen lehre mit höchstem ernst handhaben.

Ist diß dann nicht die warheit/das man das Euangelium/die Prophetisch vnd Apostolisch schrifft/rein/ausserhalb der Philosophey vnd Menschensatzung/predigt? O wolt Gott das solches war were / das anders innerhalb viertzig jaren her nichts gelehrt/ geschriben noch gepredigt worden were/vnd noch/denn das reine Euangelium/ vnnd die Prophetisch/Apostolisch Schrifft.

Sprichst/Ist denn nicht dieselbige Schrifft/die von vnsern Predigcanten in allem jhrem schreiben vnd lehren angezogen/eingefürt/vñ allegiert wirdt? Man liset doch vnd höret kein andere kundtschafft von jhnen.

jhnen. Dann ob sie wol etwa die alten Kirchenlehrer melden/ so es doch jhre meinung nicht / das sie etwas durch dieselben probiern wöllen: son der ziehens allein an / als ein neben kundtschafft / welcher doch für sich selbst nichts glaubet wird/ sonder müß derselben glaub vnd Autoritet allein in die Schrifft/ vnnd sonst nirgend anders / fundirt sein. Dann die Schrifft allein/ als dz wort Gottes/ ist der rechte vnd einige grund/ auff welchen man bawen müß vnd soll.

Du redest gar schön vnd scheinlich von der sach/ ich wolt das ich dir jetzt nach notturfft darauff antworten/ vnd dise Schrifft solchs leiden möcht/ Doch solt du wissen / das ein grosser vnderscheid ist/ also für die armen Christē/ von dem geschribenen wort Gottes vff deinen geist/ das ist / auff deines tolles kopffes trewme / zwischen der Schrifft/ die man auff das Papier malet/ vnd dem jnnerlichen wort Gottes/ welchs der rechte warhafftige verstand des Büchstaben ist/ welcher nicht mit den augen gesehē/ noch in die oren eingossen/ sondern mit der vernunfft durch den Geist Gottes begriffen/ vnnd in das hertz eingesenckt wirdt. Sonst müst ein jeder Jude/ Türck vnd Ketzer/ welcher die Schrifft im Büchstaben liset/ dieselbe auch als bald recht verstehen/ vnd das jnnerlich wort des Herren ins hertz fassen. Solchs aber ist weit daruon/ wie den̄ kundtlich vnd offenbar ist/ vnd kan nicht gesagt werden/ das/ welcher den Büchstaben oder das bestimpt vnd geprcdigt wort Gottes habe/ derselbe auch zügleich den waren lebendigen verstand desselben begriffen habe.

Vnd volgt als bald auch darauß/ das nicht allein was in der Prophetischen vnd Apostolischē Schrifft begriffen/ das rechte/ ware wort Gottes sey / Sondern auch was jederzeyt den Kindern Gottes/ vnd beuorabe d' allgemeinen versamlung der kirchen/ welche die eine Braut vnd Gespons Christi ist/ durch den Heyligen Geist in das hertz geben wirt (nemlich was der Bapst sampt den seinen / nach der eingebung des Satans/ auß dem schreien seines hertzens/ da/ wie sie fürgeben/ alles rechtes begriffen/ verschlossen/ sein/ in die Kirche vn̄ Religion Gottes außspeiet) wie dann der Herr in seinem abscheid selbst geredt vnd versprochen hatte.

Rogabo patrem (sagt er) & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus

non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum: uos autē cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit. Item: Hæc locutus sum uobis, apud uos manens, paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus, quem mittet pater nomine meo, ille docebit uos omnia, & suggeret uobis quæcunque dixi uobis. Et sequenti capite: Ad hæc multa habeo uobis dicere, sed cum uenerit spiritus paracletus, &c. (Solches hat der Heylige Geist durch die eingebung vnd beschreibung der Heyligen Schrifft vnd erklerung derselben hußgericht: was er in dselben nicht verfasset hat/das lehret er auch nit.)

Was kan heller vnnd klerer hie auß der Schrifft bezeuget werden? Dann das Gott sein wort nicht allein durch seine Propheten vnd Apostel in der Schrifft begriffen habe/sondern auch dasselb seiner kirchē jeder zeit mittheilen/vnd sie an denselben in ewigkeit nimmermehr verlassen wölle? Wie schreiben die Aposteln/so zů Jerusalem im Concilio versamlet waren/an jhre mitbrůder zů Antiochia/vnd an anderen orten? Visum est nobis & Spiritui S. &c.

Sihe/sie sagen/es habs der heylig Geist also/sampt jnen/für gůt angesehen (das hat der heilig Geist durch die Schrifft erkleret vnnd geleret) Als wolten sie sagen/ Es sey jhr Decret vnd bescheidt nicht/ sondern des heyligen Geistes/welcher sie solcher meinung erinnert habe. Solt dann solch erinnerung auch das recht warhafftig wort Gottes nicht sein? So wol als wañ es durch einsprechung desselbigen geists Gottes/durch den Propheten Esaiam oder Jeremiam vor 3000. jaren geschrieben/vnd vns durch die kirchen Gottes bezeüget vnd fürgelegt worden were? (Merck eben/also gewiß vnd warhafftig ist der geist des Bapsts vnd seiner geschwornen leibeigenen knechte im Concilio/als der heilig Geist Esaiæ, Ieremiæ, vñ anderer Propheten vñ Aposteln Glaubstu es nit/so bistu ein Lutherischer ketzer/flucks zů fewer zů.

Wz vnderscheids ist dañ zwischen der schrifft/vnd dem eingesprochnē wort Gottes? Keiner/sage ich/so vil die bestendige vnwandelbare warheit antrifft/dieweil die durch einen mund Gottes geht vñ gesprochen wirdt. Allein ist die Schrifft gewisser/in dem/das sie vns albereit vnd von alters her/vor gewiß vnnd warhafftig durch die Kirche bezeuget/ vorgelegt/befolen vnd bestetigt ist/vnd derhalben auch nicht/dann bößlicher weise verfelscht/noch widersprochen werden sol noch mag. Das

wort/

wort/ so (nemlich dem heiligen Bapst/eingesprochen wirdt/wiewol es gleichsampt ware/vnd durch denselben mund Gottes außgehet vnd empfangen wirdt/so mags doch in viel wege durch die (das ist/durch die Lutherischen) so nicht glauben/oder vngehorsam sein/widerfochten/ veracht/ vnnd nicht angenomen werden:wie dann solches die erfarung jeder zeit/ auch bey dem anfang der Kirchen geben hatt/ vnnd noch.

So ich denn/sprichstu/dem Bapst vnd seinem hauffen so vil glauben/als der Schrifft?des wirstu mich nimmer überreden/vnnd solt ich zehen mal vor einen Ketzer gehalten werden.

Du magst glauben was du wilt/ich will vnnd kan dich darzů nicht dringen. Diß soltu aber gewiß sein/das Gott sein Kirch (nemlich die Hohenpriester vnd Prelaten) welche er so thewer durch das blůt seines geliebten Sons erkaufft hatt/nicht verlasse/nimmermehr verlassen wirdt/auch von anfang biß anher (wie auch in der Biblischen schrifft allenthalben klar zůersehen) nie verlassen hat. Wiewol man den Propheten/als den verkündern deß willen Gottes/jeder zeit/ nicht wie sich gebüret/ Ja zum offtermal gar keinen oder wenig glaubens: zůgestelt/ sie auch jedermals verfolget/ vnd gar übel mit jnen vmbgangen ist. (Wer hats gethan? Habens nicht gethan eben die Hohenpriester vnd Geistlichen/ so im Ampt sassen?)

Das waren heilige leüt (sprichstu) den solt man billich glaubt haben. Was sein aber vnser Bäpst/Bischoffe/Pfaffen vnd Münch anders/dann Gleißner/Phariseer vnd Hohepriester?

Wer ein jeder sey/will ich nicht vrtheilen/damit ich selbst nicht geurtheilet werde/ (O du stummer hund/vnd blinder wechter oder leiter/ wilt du nicht sehen den Beerwolff/oder Antichrist?) Jch wolt aber gerne sehen/das allenthalben recht zůgienge: vnnd ein jeder sich hielt/ wie er es gegen Gott vnd der Welt verantworten kündt. Das du aber meinest/den Sündigen oder auch Gottlosen (wir sagen/ der verfürischen Prelaten) sampt andern recht geordneten Dienern der kirchen/ sey man nit schuldig zů glauben/noch zůgehorsamen/ Findest du vil einen andern bescheid bey dem Herrn im Euangelio/da er die seinen warnet/vnd jnen befilt/das sie den Schrifftgelerten vnd Phariseern gehorsam sein/nit in einē oder mehr stucken/sond' durchauß in allē wz sie

jnen von Ampts wegen vorhielten vnd gebotten. Scribæ & Pharisæi (sagt er) qui sederunt supra Cathedram Mosi, omnia quæ dicunt uobis, facite, &c. Omnia/ sagt der Herr/ vnd nimpt nichts auß (Alles was sie auß Moses stůl oder lehr lerete/ sonst sagt er/ Hůtet euch für dem sawerteig der Phariseer) Aber was sie thůn/ setzt er darzů/ dz solt jr nicht thůn/ dañ sie sagen wol/ thůns aber selbs nicht. Vnd diß soltu verstehn/ was die Prelaten gebieten (Christlicher lehre vnd dem wort Gottes gemeß) nicht auß jren eigen köpffen/ sond' nach außweisung vñ erklerung der allgemeinen kirchen/ (der Bapst vnd die Prelaten sind bey euch die allgemeine kirche) Mit gleichen worten gebeut Gott auch Deut. 17. durch den Mosen bey straff des Todes/ daß das volck one widerrede dem obersten Priester zů der zeit vnd den Leuiten gehorsam sey/ vñ alles was die erkennen/ den selben volck thůn vñ nachsetzen sollen. Welcher gehorsam vil mehr in der kirchen des newē Testaments stat haben solte (nicht stracks alles/ lieber verfůrer/ sonder auß dem geschriebnen bůch des gesetzes/ dauon sie nicht weder zur lincken noch zur rechten mit dem geringsten weichen sollen.) Sprichst/ Diß gestehen wir keines wegs/ das wir dem Bapst vnd seinem hauffen in der Religionsachen zůglauben vnd zůgehorsamen schuldig sein. Dann Gott soll man mehr förchten dann die menschen. So ist auch das wort Gottes hell vnnd klar an jm selb/ man bedarff keiner außlegung noch weisung darüber/ darum̃ wissen wir selbst/ was wir glauben/ thůnd vnd lassen sollen: bedürffen des Bapsts/ seiner Mönch vnd Pfaffen niergend zů: dañ sie/ als Gottlose/ den Geist Gottes nicht haben/ auch den rechten verstand der Schrifft nicht erlangē mögen/ dieweil sie mit menschē lehre vm̃gehn/ vnd vns das rein lauter Euangelium verderbt vnd verdunckelt haben.

Dise wort lassen sich wol reden (es seind auch die bittere warheit selbst/ lieber verfůrer) Jn sonderheit bey denen/ die von euch also beredt sein/ vnd noch teglich beredt werden. Aber war zůmachen gehört mehr darzů/ vnd wirt sich in ewigkeit nim̃ermer also/ sonder vil mer das widerspil erfinden. Dann hat die allgemeine Christliche Catholische Kirche/ in welcher fůßstapffen die der alten Religion von anfang getretten sind/ vñ beharlich darinne bleiben/ den rechten verstand der Schrift vnd also das ware lebendige wort Gottes nicht/ auch so vil hundert jar

her

her nit gehabt (das sagen wir nicht/ Es ist die erste kirchen also eins mit ewrer Synagoga/wie das liecht mit der finsternus. So sind auch stets Christen gewesen/die ewren grewel gestrafft haben/ wie ich solches nach der lenge in meinē Catalogo bewisen habe) so ist hoch zůbesorgē/ man werde dasselb auch bey euch newen Euangelischē nit finden/ ja vil weniger/dañ bey so vil heiligē/gelertē leuten/welche innerhalb 1000 vñ mehr jaren gelebt/ der alten Religion fest angehangen/dieselbe auch durch jre lehre gebessert/erleucht/vñ also Gottseliglich biß auff vns her bracht/vnd mit allem ernst befolen/zůhalten. Den Geist Gottes aber belangen/das wir Papisten den selben weniger haben solten/dañ jr Euangelischen. Solt jr wissen / Das der selb an kein person weder Prelatens/Kirchendieners/noch sunst gebunden ist. (Er ist freylich nicht gebunden an ewre dryfache kron/spitzhůte/Cardinelshůte/ vnnd Bischoffe auß Sydon) wie der Heylig Cyprianus/vnd nach jm der heylige vnd hochgelerte Augustinus / sampt der gantzen Catholischen Kirchen/vor tausent jaren vñ noch/gelert vnd geschrieben haben/sonst wüste keiner / ob er einig Sacrament der kirchen ye recht empfangen het/oder empfangen wurde. Sondern Gott würcket eigener vñ Göttlicher krafft/durch den Diener/als durch ein Instrument seiner barmhertzigkeit. Derhalben dann auch solche würckung durch einig vngeschickligkeit des Dieners/so fern derselbig in vnd nach ordnung der kirchen rechtmäßig zum Ampt kommen vnd verordnet ist/keines wegs geschmälert noch verhindert werden mag. Gleiche gestalt hat es auch mit der Lehre in der gantzen Catholischen kirchē. Diß zeiget die schrift in vil wege/vnnd sonderlich bey dem verworffenen Könige Saul/bey dem bestelten Weissager Balaam/vnnd dem Gottlosen Priester Caipha: Welche/wiewol sie verkerettes gemůts waren/sind sie doch durch den Geist Gottes angewegt/vnnd das wort der Propheten in jren mund geleget worden/das sie dasselb haben můssen außreden.

(Da recht/du Propheceyest warlich jtzt auch/oder redest die warheit. Dann eben also wie dazumal der Hohepriester Caiphas sambt seinen gesellen feyn mit Christo vnnd seiner lehr vmb gieng: Also thůt auch ewer Bapst/vnd jhr seine mitverfürer jtzt auch. Bey disem deinem beschluß mag diß dein schreiben jtzt bleiben.)

EDitum est contra nostras Ecclesias, Anno Domini 1561. Ferrariæ, scriptum cuiusdam monachi nomine Iohannis Mariæ Verrati Carmelitæ, ad præsentem Pontificem, & de præsenti Synodo, in quo multa impia asserit, sed eò præcipuè, plenoq; cursu tendit, ut affirmet Pontificem & Concilium esse supra sacram Scripturam: posse Concilium, quodcunq; ei uideatur, non tantum sine scriptura, sed & supra scripturam, imò denicq; contra scripturā decernere. Posse quoq; ea quæ prius uerè ac rectè decreuerit, iterum tollere, & contraria statuere: ut dubitare non possimus, qualē normam aut regulam Papistæ in ista Synodo sequantur. Amplioris autem certitudinis gratia aliquot eius dicta ad uerbū describam.

Humiliter confitemur, Ecclesiæ authoritatem SVPRA Euangelion esse. Siquidem Christus tradidit Ecclesiæ suæ potestatem definiendi, determinandi, circa res cōtentiosas, uel in fide, siue in actionibus, et quicquid Ecclesia decreuisset, Christus se confirmaturum promisit.

Et mox: Synodus generalis uniuersalem Ecclesiam repræsentās in suis determinationibus & sanctionibus, errare non potest: & quæcunq; decreuerit, Christus se uelle approbare & confirmare promisit.

Item, spiritus sanctus non permittit errare Concilium: Determinatio igitur Ecclesiæ Euangeliū appellatur, cui in omnibus est præstanda fides.

Ecclesiæ est authenticare & confirmare scripturas. Omnia quæ in Euangelijs reperiuntur, firmissima esse tenemus. Firmitatem autem non habent, nisi per Ecclesiæ determinationē. Omnia quæ Synodus generalis sanciuit & decreuit, ea habemus tāquam à spiritu sancto, & eloquia Christi.

Si generale Conciliū posset errare, omnes articuli fidei possent esse erronei & falsi.

Generale concilium non potest circa fidem errare: ideo in omnibus ei est præstanda fides.

Ideo Lutherani nullum alium iudicem uolunt præter uerbum Domini, id est sanctum Euangelium, non hominum traditiones: ac si

ac si nihil unquam potuisset & posset determinari apud Orthodoxos patres, nisi id quod expresse habetur in Euangelio. Idcirco contra eos diriguntur uerba Christi, ac manifesta sacrarum literarum decreta, necnon & generalia concilia Apostolorũ & sanctorum Patrum in primitiua Ecclesia celebrata. Audiant igitur ea quę dixit Christus Apostolis suis: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem uenerit Spiritus ille paracletus, docebit uos omnem ueritatē. Et quæ sunt illa, quæ docuit spiritus sanctus, nisi ea quæ statuerunt & decreuerunt prius patres in Synodis generalibus. Et primò de cessatione & abrogatione legalium, deqꝫ carnali circumcisione abolenda, & tantum spirituali seruanda, & de multis alijs, de quibus NIHIL in euangelio reperitur, imò oppositum habemus, id quod Christus dicit: Non enim ueni soluere legem, sed adimplere. Nihilominus, ut legimus in Act. Apostolorum cap. 15. &c.

Si igitur illud Apostolorum & discipulorum concilium uniuersalem Ecclesiam repræsentabat, habuitqꝫ potestatem statuendi, aliqua esse necessaria pro illo tempore, & etiam facultatem mutandi ea, multaqꝫ alia statuit, quibus adhærere tenemur, eaqꝫ negantes hęretici censemur. Ergo (*Nota bene*) pari ratione quodlibet generale concilium in spiritu congregatum, uniuersalem ecclesiam repræsentat, & est supremum tribunal, (*Nota bene*) eandemqꝫ habet potestatem ad quodcunqꝫ decernendum, statuendum, definiendum: quòd idem est Deus, idem Christus, idem spiritus, eadem fides, eadem ecclesia, &c.

Sicut igitur tempore Apostolorum & aliorum sanctorum patrum ecclesia erat sancta & immaculata, quæ errare minimè poterat, extra quam nullus poterat saluari: ita & nunc, pręcipuè quò ad essentialia fidei. Et sicut Petrus apostolus constitutus fuit à Christo (ut statim uidebimus) princeps Apostolorum & caput ecclesiæ militantis, ita & (*Nota*) quilibet summus Pontifex gerens uicē ipsius, eandem habet authoritatem. Et quidem tunc temporis ecclesia uniuersalis, seu synodus generalis ipsam repræsentans, habet authoritatem & potestatem cognoscendi, statuendi, determinandi circa omnia, quæ ad fidem & Christianam religionem sunt

pertinen-

pertinētia, etiam sine scripturarum authoritate, quę spiritu sancto regitur: ita & nunc. Rem autem tam claram ab ecclesia definitam expressamq́ rursus ecclesia propria authoritate mutauit. ECCE potestas ecclesiæ magna est SVPRA scripturam.

Alia etiam eiusdem uerba sunt quàm plurima, quæ possumus adducere exempla, sed hæc sufficiant. Igitur authoritas (*Nota bene*) ecclesiæ seu sanctæ synodi præferenda est scripturis. Quomodo ergo dicunt? Nolumus alium iudicem in concilio, præter uerbum Dei, quorsum tendunt hæc uerba?

En habes Christiane lector, ex authentico & ipsi Papæ dedicato libro, qui de isto ipso Tridentino conciliabulo scriptus est, horrendas Papistarum blasphemias, quibus disertè asserunt suum conciliabulum, id est Papam cum suis mancipijs & adulatoribus supra diuinitus inspiratam Scripturam, id est supra uocem filij Dei, & supra cœlestis patris decreta posse statuere quodcunq; ei uidetur, sine Scriptura, supra Scripturam, & deniq; contra Scripturam. Idq; in ea re aut controuersia, ubi expressè oppositum in sacris literis pronunciatur: posse etiam ea quæ priores Synodi rectè & Christianè decreuerunt, tollere, ac contrarium decernere, idq; tanta firmitate & authoritate, ut qui ei decreto non obediat, sit prorsus impius & blasphemus hæreticus.

EX ORA-

EX ORATIONE LVDOVICI CANONICI LAteranensis ad Concilium Tridentinum, Dilingæ Anno 1563, impressa de Papæ, Traditionum, Consuetudinum & ueterum Patrum ac Ecclesiæ supra Scripturam autoritate.

Pariter eodemq; modo in restituenda Religione, sacrorum Codicum germana intelligẽtia, quæ hoc nostro seculo apud tot nationes & regna, apud tot etiã eruditissimos uiros tam impiè deprauata est atq; corrupta, operæprecium ac summè necessariũ esse ducimus, ad illorum (*id est Patrum, aut Scriptorum*) decreta confugere, illorum sententias perscrutari, qui Christianam religionem tam sanctè coluerunt, qui tot seculis, à primordijs scilicet nascentis Ecclesiæ usque ad hæc tempora perpetuò & incorruptè rempub. seruauerunt. Quibus enim alijs, ijs de rebus quæ ad Religionem attinent, magis fides est habenda, quàm primis & præcipuis Religionis cultoribus & conseruatoribus illis? qui non modò sacra, ritus, mores, consuetudines & cerimonias, sed ipsa etiam Sacrarum literarũ oracula & monumenta, sed ipsa etiam sancta Christianæ eruditionis & sapientiæ uolumina nobis posteris prodiderunt?

Quamobrem ad sacrarum Scripturarum ueram intelligentiam ipso iure non alij constituẽdi sunt iudices aut interpretes, quàm ij qui nobis eadem Scripta sacra tradiderunt: quiq;, quo pacto, quaue ratione intelligenda erant, clarissimis EXEMPLIS perpetuisq; CONSVETVDINIBVS edocuerunt, interpretati sunt, expresserunt & exposuerunt. Etenim quis'nam alius maioris uel sapientiæ uel autoritatis iudex, illas lites & controuersias, quæ de uetustissimis Patrum scriptis, deq; sacris Euangeliorum uerbis, inter nos suboriuntur, melius ac tutius dirimere & comprimere potest, quàm maiorum nostrorum uetustissima & uniuersalis consuetudo? quàm communis & concors eorundem Patrum sententia? quàm per totum Christianum orbem omnibus seculis iam inde à temporibus Apostolorum ad hęc usq; tempora perpetuò, & quasi per manus traditũ institutum, & apud omnes semper recepta & continuata obseruatio? Te pacatum reddat traditio (ait magnus Basilius) Dominus ita docuit, Apostoli prædicauerunt, patres

q obserua-

obſeruauerant, confirmauerunt Martyres. Sufficit dicere: Sic edoctus ſum (*ſanè, ſi uerbo Dei certo ac ſcripto ſic edoctus es.*)

Et D. Athanaſius de conſimili re ſermonem habens ad Epictetum Corinthiorum epiſcopum, perhibet: hoc ſolummodo reſpondere ad talia, & dicere ſufficit, quòd iſta non ſunt Catholicæ Eccleſiæ, neq; iſta patres noſtri ſenſerũt. & ante hos ſanctiſsimus Lugdunenſis epiſcopus Irenæus, qui fuit ſecundo Chriſtianæ religionis ſæculo, Anno ſcilicet à Chriſti natali die centeſimo quinquageſimo: Si qua, inquit, diſceptatio oriatur, oportet ad antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſtatuere, quod certum eſt (*Aliud eſt de alia recenti memoria dicere, aliud de hac tanta uetuſtate*) Quid enim ſi neq; Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis? nonne oportebat ordinem traditionis ſequi, quem tradiderunt ij, quibus committebant Eccleſias?

Ex quibus profectò uerbis ſatis perſpicuè conſtat, Patres, quomodo diſsidia optimatum & ſacrorum uirorum diſcordiæ è medio tollendæ ſint, quo iudice Religionis controuerſiæ & diſſenſiones ſint dirimendæ atq; ſedandæ, qua machina euertendæ ſint domeſticorum hoſtium opes, quibus deniq; armis feliciſsimè decertandum ſit cum commẽtitiorum dogmatum & damnatę ſectæ Theologis: nimirum NON DIVINIS duntaxat TESTIMONIIS, non ſacris DVNTAXAT ſcriptis, quippe quæ ingenioſi & turbulẽti homines facilè quocunq; placuerit detorquere poſſunt, quemadmodum aliàs eiuſdem modi perfidiores homines ſingulis ætatibus feciſſe manifeſtum eſt: ſed ſcriptis quidem ſacris, ſed diuinis quidem teſtimonijs, ita tamen EXPOSITIS atq; explicatis, ut à tot ſanctiſsimorum ſapiẽtiſsimorumq; uirorum INTELLIGENTIA, ut à tãtarum nationum communi ſenſu, ut à præiudicatis toties patrum noſtrorum SENTENTIIS, ut à perpetua maiorum noſtrorũ CONSVETVDINE nulla ex parte abhorreant, aut diſcrepent. Niſi cuilibet licere, unicuiq; datum eſſe dixerimus, maiorum inſtituta conuellere, ſpectatiſsimorum & probatiſsimorum hominum ſententiæ refragari, ſumma cum pertinacia ſuorum dogmatum impietatem tueri, Chriſtianam diſciplinam commutare atq; diſſoluere, uetuſtiſsimorum autorum eleuare teſtimonia, Con-

ciliorum

ciliorum autoritatem repudiare, perpetuum totius Ecclesiæ consensum pro nihilo ducere, Pontificiæ potestati atque uniuersæ Religioni bellum indicere, fundamenta Ecclesiæ labefactare & euertere: diuina denique & humana omnia, ad uotum, ad arbitrium, ad libidinem miscere, perturbare, confundere.

Nisi igitur hæc & his similia impia & execranda facinora cuipiam licere dixerimus, quis ita bardus, quis adeò stupidus est, ut non intelligat nullam ob rationem, nullaque ex causa fas esse transgredi illos terminos, quos posuerunt nobis Patres nostri? Præsertim cum etiam apud fictæ Religionis homines Ceremonias ueterum retinere, custodire paterna sacra, suorumque maiorum instituta tueri, semper sapientis fuerit. Vt omittam grauissimam & clarissimam illam D. Pauli sententiam, qua Thessalonicenses & reliquos Christianæ pietatis cultores cõmonuit, ut starent, & tenerent, non scripta, non uolumina, non codices, sed TRADITIONES (inquit) quas didicerant siue per sermonem, siue per Epistolam suam. *Quid sunt traditiones per Epistolam factæ, aliud quã ipsæ Paulinæ Epistolæ? Sciebat enim diuinus ille Doctor, Ecclesiam Dei esse uiuum pectus Christi: scripturam autem quasi mortuum atramentum, & id propter longè potius credendum esse uiuo pectori, quàm mortuo atramento: hoc est, maiorem habendam esse fidem uiuenti Ecclesiæ, quàm per se uelut mortuis Codicibus. (O nouam sycophantiam, & impiam imposturam ac blasphemiam.)*

Sciebat quoque, Christum non membranulas, non macrocolla, non chartulas, non scriptiones, non literarũ monumenta: sed exempla, sed præcepta, sed instituta, sed mandata, sed consulta discipulis suis dedisse & reliquisse: ut uel ob id apud posteros testatum relinqueret, quid ipse magister omnium hac de re non obscurè sentiret: nempe quod potius consultis, mandatis, institutis, præceptis atque exemplis, quàm literarum monumẽtis, quàm scriptionibus, quàm chartulis, quàm macrocollis, quàm membranulis standum erat. *(O blasphemum os, Deus te increpet.)*

Sciebat item, traditiones & consuetudines religionis corrumpi & adulterari haudquaquam posse, quia religiosè, sanctè & accuratè seruantur. Suntque quotidie in usu & in oculis omnium. Tabulas autem & ipsos quamuis diuinæ autoritatis Codices, non

modò ob multas & uarias causas adulterari & corrumpi, sed etiam eorum uerba atq; sententias, per se licet integras & incorruptas, deprauari tamen aliquando, ac pro hominum ingenijs institutis in utranque partem deflecti & contorqueri posse.

O impurissimum os Romanistæ Curtisani: Itáne tibi uerbum uiuentis Dei, quod manet in æternum, & cuius iota, aut etiam unicus apex cœlo terraq; firmius est, tuo blasphemo ori est tantum mortuum atramentum, est mortua charta, mortuus codex, membranula macrocolon, &c. quod se in omnes partes ac sententias flecti torqueriq; sinat, patiaturq;? Quis Monarcha, Princeps, aut etiam minimus Magistratus patiatur, suum publicè affixum decretum uocari tam contumeliosè mortuam literam, mortuum atramentum, chartam & similia: & non potius contrà clamet, esse intimam sui pectoris uoluntatem, & quasi cor ipsum, aut se ipsummet: nec chartam illam, sed seipsum, suamq; omnem dignitatem ac maiestatem in ea charta contemni?

STAPHYLI.

De STAPHYLO quid dicendum in hoc genere sit, ipse propemodum dubito. Nam licet plurimus sit in suis scriptis, in conculcandis & cõspurcandis sacris literis: tamen id aliquanto astutius & artificiosius cæteris agit. Velat enim faciem Christo, & sic demum tanquam nequeunti uidere, acerbas & impias alapas impingit.

Sed tamen nequit satan in eo omnino sese in Angelum lucis transformare, quin ipse alicubi crassè & conspicuè suam impuram linguam infernali igne flagrantem, contra Deum & eius uerbum exerat. Nam inter alia (neq; enim uacat omnia adscribere) omnes omnium nefandas blasphemias supergressus, dicit, ex sacris literis impudicitiam disci, eoq; eas nequaquam legendas.

Ne autem id fingere uideamur, uerba eius ex libro cui titulus est Nachdruck adscribemus. Sic enim dicit:

Ist derhalben nicht von nöten/das gleich von stundan ein Junges megdlein oder kneblein/so dero laster/von welchen hin vnnd wider in der Bibel meldung geschicht/alters halben nach vnschuldig vnd vnerfaren sein/dergleichen exempel in der Bibel lesen sollen/vnd müssen/

dieweil sich begeben möcht / das vnerfarne leut durch das lesen solcher histoꝛien vnd thaten/verursacht wurden dergleichen dingen nachzůden cken/vnd sich nachmals befleissen/dasselbig vilmehꝛ nachzuthůn / denn zůvermeiden. Es thůt aber Schmidly nach art aller vnzüchtigen Sectmeister vnd ketzern/so neben jhꝛer falschen lehꝛ/auch vꝛsach geben vnzucht vnd hůrerey zůtreiben : zů welchem gar dienstlich zůsein pflegt wo man sich vndersteht/vnderm schein des Chꝛistlichẽ eifers zů der hei ligen Schꝛifft/für frauwen vnd jungfrauwen auff der Cantzel offentlich zůpꝛedigen von Loth/von Thamar vnd dergleichen histoꝛien: vnd eben die vꝛsach fürwendet / wie Schmidly hie thůt als geschehe es darumb/damit sich die jungẽ töchterlein/oder megdlein zůkünfftiger zeit/ wann sie manbar woꝛden / voꝛ solchem laster wüßten zůhůten / so sie doch mit erzelung vnnd außfůrung solcher geschichten/ die vnschuldig Jugent vil mehꝛ zůr boßheit vnd leichtfertigkeit vnderweisen vnnd abrichten/den dauon abweisen.

O sceleratum Apostatam, & nefarium mancipium Babylonij scorti. Orbem terrarum, tum spirituali, tum & carnali impudicitia, ipsissimaq; sodomia uestro diabolico cœlibatu compleuistis, ac totum Mundum contaminastis: & audetis culpam impudicitiæ, Sacrosanctæ Scripturæ ac uerbo uiuentis Dei obijcere? Quid sunt uestra monasteria aliud, quàm horrenda & perpetua prostibula? An non, ubi plurimi apud uos sacrificulagũt, ibi etiam propalàm sunt innumera scorta? Potestis'ne, aut audetis'ne id negare? Consulite uel solam uestram sacrosanctam Romam, consulite Coloniam, & alia loca, ubi sunt multa monasteria, canonicatus, & id genus impurissima fex sacrificorum. Dominus IESVS fulmine, aut etiam infernali igne, istud impurissimum os reprimat, & obturet. Amen.

MARTINI PERESII HISPANI.

Fuit in aula Caroli V. summæ autoritatis episcopus Martinus Peresius Hispanus, is prolixum uolumen de traditionibus conscripsit, in quo fœdè, uel potius blasphemè Scripturæ obscuritatem exagitat, præterquàm quod uulgus Christianorum penitus ab eius

lectione arceat, cuius aliquot loca testimonij causa adscribam. Is igitur hoc modo exagitat Scripturæ obscuritatem:

In Nouo testamento & Euangeliorum scripturis, etsi lux ipsa Christus Deus noster tota lege ueteri adumbratus nobis loquatur: non desunt tamen magna & profunda mysteria, quæ excutiantur, magnumque faciant hominibus negotium pijs & eruditis, & de quorum interpretatione non satis inter eos conuenit, ut de primo Capite Euangelij Ioannis, ubi diuini uerbi qualitas explicatur: de Christi generatione carnali, quam Matthæus contexit, qualiter ad Christum pertineat, quomodo'ue ab illa, quam Lucas recenset, differat, eorumque diuersitas conciliabitur de Mariæ uirginitate post partum, de Magorum aduentu, de octo beatitudinibus, de Euangelicis consilijs, de relinquendo pallio uiolentis hominibus, de altera maxilla percutientibus præbenda, de non resistendo aduersarijs, de iuramento, de diuortio, de correctione fraterna, de sermone facto ad Capernaitas, Ioan. 6. de gladijs emendis, de tollendo sacculo & pera, de esu & potu in regno Dei promisso, de abscisione scandali, de die qua Christus celebrauit Phase, de resurrectione mortuorum, in paſsione & intelligentia τῶν παραϐολῶν. Paulinas uerò epistolas nemo non dicit in sensibus esse profundiſsimas, nisi ille qui sensu careat, expersque omnis difficultatis sit, aut eas à limine duntaxat salutauerit: quippe quarum immensa obscuritas non parum negotij hæreticis exhibuit principio nascentis Ecclesiæ, usque in præsens seculum. Quot sunt in eis tropi? quot uoragines? quot concisiones? quot hyperbata? quanta uocabulorum multiplicitas, & sententiarum libertas? Quàm est Paulus reconditus in epist. ad Rom. Quàm liber in epist. ad Galat. Quàm redundans eruditione & pietate in Epist. ad Ephes. Quàm durus in ea quæ est ad Hebræos? Quàm denique uarius & profundus in alijs?

Quare dictis & factis huius coguntur aduersarij fateri, magnam & penè insuperabilem esse in Scripturis sanctis difficultatem. Porrò sibi uindicare claram Scripturarum noticiam, in quibus tot uiri sanctiſsimi hæserunt & cespitarunt, & super quarum intellectu multi uiri ingenio clari, doctrina non uulgari præditi, tam graues & penè interminabiles suscitant quæstiones, nec has de lana

(ut

(ut aiunt) caprina, extremæ dementiæ esse mihi uidentur.

Sibyllinos libros (*Nota*) prudentibus uiris ad id munus delectis Romani tantùm committebant, uulgus ab eorum lectione inhibentes. Et quòd nullam uelint differentiam fieri, imò omnes aptos indiscriminatim esse dicunt Erasmiani & Lutherani isti, non ad audiendam modò, sed ad tractandam & legendam cœlestem philosophiam, cõmittendo illam pasſim immaturis adolescentulis, leuibus mulierculis, crasſis senibus, stultis uetulis, Epicureiꝗ sensus hominibus, quæ uix fidei rudimenta tenent. An putant (obsecro) isti, Prophetarum oracula faciliora, aut indigniora esse, quàm Sibyllinarum folia? aut casu quodam Prophetas tot inuolucris suas sententias obuoluisse? Non certè: sed diuina hac procurante dispositione, ut nisi spiritualis homo & exercitatus, ad earum intelligentiam posſit peruenire: & ne sacra & diuina doctrina ab indignis & carnalibus hominibus prophanaretur aut conculcaretur.

Videor mihi tandem audire iam succensentem Erasmianum quempiam, nostramꝗ, imò sanctorum doctrinam, ueluti superciliosam improbantem: Bona (inquit) & sancta est diuina Scriptura, & ad salutem hominum data: atꝗ ut intelligeretur ab iis, quorum refert, ipsam seruare promulgata: Quorsum ergo tu ad paucos dicis pertinere, quam Deus uoluit omnibus esse communem? Nunquid non lux est diuina Scriptura? Omnibus ergo patere deberet. Sed & Paulus conuersæ Ecclesiæ scribit suas epistolas, non Theologis aut Episcopis. Quid ergo tu à uulgo hominum subtrahis, quæ Apostoli uoluerunt omnibus esse obuiam?

Apage, bona uerba: non subtrahimus Scripturam à fidelibus, sed nolumus ut homines carnales & inextricati crudam eam potius deuorent, quàm comedant. Audiant Prælatos, Prophetas & Ecclesiæ doctores, ab illis discant quæ sibi necessaria sunt. Scriptura sacra lux est, fatemur: sed non omnibus comprehensa, sed paulatim ostendenda posſesſio est totius Ecclesiæ, non cuiuslibet priuati: in quo certè non parum hallucinatus est Erasmus, & quotquot eum in hac parte sequuti sunt.

Non omnia quę in Scriptura continentur, conueniunt singulis

personis.

personis. Nec diffitentur, ad omnia membra Ecclesiæ, cum scribebat Paulus epistolas suas direxisse: non tamen uoluit (*Nota, Paulus in suis epistolis ænigmata proposuit*) ut quilibet per se ipsas intelligeret omnia in illis contenta.

Hærerent (*Nota: hoc est, Scrutamini Decretales, & audi Papam præ Scriptura*) certè quotidie Christi fideles, si per solam Scripturam contentiones huiusmodi deberent dirimi: nec ad aliud magisterium recurrendum esset, siue in decernendis quæ ex Scriptura non colliguntur, siue in declarandis quæ ex Scriptura emergunt, dubijs: ac subinde non esset prouisum sufficienter Ecclesiæ Dei à suo institutore Christo in rebus tam magni momenti, id quod nefas est de tanta prouidentia sentire. Nam quod dicunt, Scripturam seipsam exponere, etsi uerum sit in multis locis: possunt tamen se offerre contentiones, in quibus Scripturæ loci, quæ adduntur ab aduersis partibus sint inæquali nostro, uel æqualiter obscuri: & locus qui adducitur ad expositionem alterius, non semper adeò clarus, ut ob oculos ponat dilucidam illius loci, de qua dubitatur, intelligentiam. Possunt etiam esse loci singulares eiusmodi, ut similes illis in Scripturis non inueniantur, quibus exponantur. (*Obserua ex sequentibus & præcedentibus quòd Scriptura sit mortua litera, sed intellectus Romanistarum est à spiritu S.*)

Principio (inquit) intellectus Scripturæ, quæ per traditionem Ecclesia habet (ueluti probauimus) non potest à diuina authoritate Christi & spiritus S. non promanasse. Si enim scriptura ipsa non nisi inspirante ipso spiritu S. (ut Petrus docet) tradita est, multò magis de eius intellectu, qui Spiritus & anima ipsius scripturæ est, istud idem credendum uidetur.

Alioqui tradidisset Christus Scripturas sanctas sine earum sensu legitimo, quod nemo sani capitis debet asserere, Scripturam uerò se ipsam non posse in omnibus exponere, sed egere alio spirituali lumine, abundè à nobis probatum est in superioribus. Non enim, ut diximus, scriptura sacra ideo diuinam autoritatem habet, quia atramentum est sic uel sic delineatum: sed quia diuinum sensum atque doctrinam Dei in se continet, ipsamque multoties usque adeò reconditam, ut per diuinam traditionem, & Ecclesiæ sensum

declarari

declarari desideret. Nam quid obsecro sibi uult, quòd ultimo Lucæ legimus de Christo redemptore nostro, qui solus clauem Dauid habet, ut librum septem sigillis clausum aperiat: cum post resurrectionẽ discipulis suis, per quos uolebat Scripturarum cibaria fidelib. administrare, sensum earundem aperuit & reserauit, nisi traditionem intelligentiæ eius, illis impertiri uelle, per quam citra offensionẽ haud difficulter posset intelligi ab eis, & sancta mater ecclesia per eos perfectè posset instrui. Hæc sunt (inquit seruator noster) uerba, quæ locutus sum uobis, cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis & Psalmis de me. Et subdit: Tũc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Ex qua reseratione traditionem intelligentiæ in Ecclesia emanasse nemini dubium esse debet. (*Nota, aperuit illis intellectum, id est, dedit librum traditionum, quem illi* Romanæ *Papæ unà cum libris Sybillinis testamento relinquerunt.*)

Hosius porrò Cardinalis, nunc Pontificius in synodo Tridentina legatus, & simul quoq; præsidens, multò etiam fœdius sacras literas pedibus perculcat. Nam in suo libro contra Brentium, pro monacho Soto, passim multa impia de sacris literis superbè pronunciat, quorum aliqua breuiter quidem, sed tamen ad uerbum inscribemus. Inquit enim:

Scriptura est obscura, nõ solum infidelibus, sed etiam fidelibus. fol. 198. maioris editionis.

Petrus Soto, simul & Hosius in eodem libro scribunt: Extra Scripturam credenda pleraq; sunt tradita Ecclesiæ, fol. 197. Scripturæ frustra contra hæreticos proferuntur, 89. fol.

Etiam impij Scripturas probè cognoscere possunt, fol. 240. (*in quo manifestè sibimet contradicit.*) Item, Scripturæ possunt etiam à non spiritualibus intelligi. fol. 241. *Quod non tantùm hisce ipsis uerbis profert, sed etiam prolixè ibidem probare pergit.* Scripturæ sacræ non omnia continent, fol. 216.

Rectissimè fecit uenerabilis uir Petrus à Soto, q uerbum siue sermonem, aut prædicationem à Scriptura distinxerit, quodq; plus in uerbo siue uiua uoce lucis esse dixerit, quàm in Scriptura, 210.

Sotus & Hosius fol. 230. Euangeliũ uerbum est, sed nõ scriptura Euangelica. Item, aliud uerbum Euangelij, aliud scriptura est, 431. Saluat charitas etiam sine scripturæ scientia.

Fatemur hæc duo semper esse coniuncta, ueram Ecclesiam & sinceram uerbi prædicationem. At uerò sinceritas uerbi magis agnoscitur ex ueritate Ecclesiæ, quàm è contrà, fol. 360.

Sensus Scripturæ non à Scriptura, sed à Patribus est petendus, fol. 260.

Lex Euangelica magis est cordibus indita, Spiritu sancto interius docēte: Docebit uos omnē ueritatem. Apostoli huic Spiritus sancti interiori instinctui innixi sunt. unde Paulus: Epistola estis Christi, ministrata & scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui: non tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Quare iniuriam facit dignitati Euāgelicæ & Apostolicę, & aperte imponit quòd docet Apostolos scripto tradidisse cuncta, quæ uerbo docuerunt, & acceperunt à Christo. fol. 226.

Cæterum quid sit illud quod uocamus uerbum Dei, diligētius nobis uenit expendendum. Nam si quis putat hoc tantum esse uerbum DEI, quod scriptum in ijs libris continetur, quos Canonicos uocamus, quod nostri temporis hæreticis non tantum putare, sed asseuerare uidentur: ab eorum opinione nostra longissimè dissidet ratio, nihil ut dici posse credamus, quòd magis sit à ueritate alienum, fol. 281.

Non potes dicere Brenti, nobis ullam esse nobiscum de Scripturis controuersiam. Recipimus omnes, tanquam DEI uerbum ueneramur & adoramus omnes. Qua de re itaq; agitur inter nos? Agitur de eo, quo sensu nobis recipiendæ sint. fol. 283.

Scriptum esse aiunt: Bibite ex hoc OMNES. Si hunc sensum esse uis, ut quibus hoc dictum est, non licere putes sacerdotibus aut conficere, aut offerre, aut oblatione facta Christi corpus & sanguinem sumere, nisi sub utraq; specie: DEI uerbum est, quod obuijs (ut dicunt) ulnis reuerenter amplectuntur. Sic enim Christus instituit. Sic una sancta, catholica, Apostolica semper obseruauit Ecclesia: neque faciet unquam, ut istud Christi mutet institutum. Sin autem illud ex his uerbis colligere conaris, quòd eis tāquam Christi præcepto cuncti compellantur ad utriusque speciei communionem, quod aliter saluo esse nemini liceat: tuū est hoc uerbum, ò satan, qui per hanc uiam & opinionum & animorum in Eccle-

sia Dei

sia Dei dissidium excitare conaris. NON EST VERBVM DEI. folio 77.

Sic quoque in libro de Expresso uerbo Dei, ad Regem Poloniæ scripto, & nuper Louanij edito, uarijs modis ac rationibus extremè extenuat ac prophanat Scripturam: illud perpetuò urgens ac inculcans, ex Scripturis sumi ac defendi omnes omnium hæreticorum errores. Quare nullo modo esse permittẽdum aduersarijs, ut contra eos ex Scriptura dispu tent aut pugnent. In cuius rei testimonium unum locum ex plurimis proferam, in quo alterius cuiusdam sententiam de hac re citans comprobat: quem textum ad uerbum nihil meum interserendo, ne quis erret, adscribam.

Semper frequens in ore hæreticorum fuit: Quærite, & inuenietis: Scrutamini scripturas. *Ac hortatur fideles, ut finem tamen aliquem esse quærendi uelint, simul fidem exercitationi Scripturarum præfert. Tandem ijs uerbis utitur:* De Scripturis agunt hæretici, de scripturis suadent. (*Aliunde scilicet suadere possent, de reb. fidei, nisi ex literis fidei.*) Venimus igitur ad propositũ. Huc enim dirigebamus, & hoc præstruebamus ad locutionis præfationem, ut iam hic de eo congrediamur, de quo aduersarij prouocant. Scripturas obtendunt, & hac sua audacia maximè quosdam mouent: in ipso uerò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. *Mox docet, Quid contra eos, quando scripturas obtendunt, faciendum sit.* Hunc igitur, inquit, potissimum gradum obstruimus non admittendi eos ad ullam de Scripturis disputationem. Si hæ sunt illę uires eorum, an'ne eas habere possint, despici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit?

Hæc omnia ipsius Hosij, alium quendam citantis ac comprobantis, uerba, de remouenda ex Religionis disputatione sancta Scriptura, non mea fuerunt.

Idem porrò in eodem libro contendit, non sacras literas, sed charitatem esse uerum ac expressum uerbum Dei: quod hæc eius dicta testantur: Charitas, charitas, charitas nusquam in Scripturis non est obuia nostris oculis, expressissimum uerbum Dei est.

Et: Si una hæc charitas absit, inania: si una hæc adsit, plena sunt omnia. Sola hæc est, quæ ad salutẽ sufficit, & ad eã sic est necessaria, nihil ut sit quod quisquã speret, quod posset assequi absq; charitate. Hoc igitur uerbum consumans & breuians, uerbũ saluificans, uerbum charitatis & dilectionis tam expressum est & dilucidum, ut

illud etiam absque Scripturis disci scribat Clemens presbyter Alexandrinus, cum sit spirituale quoddam decretū cordibus fidelium (quamlibet rudes ij sint) inscriptum. Itaque nemo potest esse tam hebes, qui uerbum hoc non intelligat, nec ab illius ignorantia quisquam excusatur. Hoc est illud uerbum Dei, de quo dicit Psaltes: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. De quo loquitur idem: Præceptum tuum lucidum, illuminans oculos. Reuera illuminantur oculi cordis nostri charitate, sicut excæcantur econtrario cupiditate. (*Nota, sic remouet ur uerbum Dei de medio, ut scilicet charitas sit norma diiudicandi hæreses & errores.*)

Item: Nā si minus doctè, clarè tamen & perspicuè demonstrasse uideor, quā tam ea res Ecclesiæ Dei perniciem afferat, quod imperitissimi quiq; de expresso Dei uerbo sibi iudiciū usurpant. Simul & hoc ostendi, quod sit illud uerbum Dei, quod tam clarū, tam perspicuū, tam expressum est, ut etiam ABSQVE Scripturis disci possit, à quālibet rudibus, neq; sit necesse credentibus in Christum de eo disputare: uerùm necesse sit, firmiter in cordibus illud retinere, nec ut unquam elabatur permittere.

Ibidem, Nos uerò Dei de cœlo sententiā potius expectabimus, ac tum istos pro sua, non pro Scripturarum sententia dimicantes, tum ipsas etiam Scripturas (quarum tot iam non diuersas modò, uerū & contrarias interpretationes adferri uidemus) facessere iubebimus, & quod nobis cœlestis ille magister dicere dignatus fuerit reuelare, tanquam expressum Dei uerbum, ea qua par est differentia recipiemus. (*Facesse potus Tu mancipium Antichristi, cum tuis Stencfeldicis somnijs in infernū, quàm ut facessat à nobis Scriptura.*) ac ipsum loquentem potius audiemus, sicut etiā Propheta dicit, Audiam quod loquatur in me Dominus, quàm ut ad ista egena elementa nos conuertamus, & in illis quæ nunc in hunc, nunc in illum sensum inflecti uidemus (O *blasphemiam horribilem, contra Deum, & eius sacrosanctum uerbum.*

Non oportet (*Nota porrò eiusdem blasphemias*) legis aut Scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum. Vanus est labor, qui Scripturę impenditur. Scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum: non conuenit Christiano, nimium Creaturæ addictum esse. Deum

esse. Deum audire oportet, cuius uoces de cœlo expectandæ sunt, ut nos erudiant (*Conculcatur Euangelion filij Dei, quod scrutari & audire iussus es: & uola in cœlum, quæsiturus aliam doctrinam.*) Beatus uir, inquit Dauid, quem tu erudieris. Æquè nos docet hodie, atque olim Patriarchas & Prophetas. Prohibuit Christus, ne plures Magistri fiant, quòd unus est Magister noster in cœlis.

Audiamus ergo cernui, quid diuina maiestas per ipsum Prophetam nobiscum loquatur, abiecto isto mortuo elemento Scripturæ. (*Dominus Iesus obstruat igne infernali ista blasphema ora Antichristi, & eius mancipiorum: & uindicet gloriam ab eorum tyrannide. Summa, si cupis normam Religionis, aut Credo Antichristi, eiusq; Spiritualium, habes eam in ipsius proprio aut Canonico Iure, hisce uerbis comprehensam.*

CREDO PAPISTARVM.

Papa non puri hominis, sed ueri Dei uicem in terris gerit. Vnde dicitur habere cœleste arbitrium. C. de sum. tri. l. 1. in fin. Et ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alij. Art. C. commu. de le. l. 3. Et de nullo potest aliquid facere de rei uxo. ac. l. una, in prin. de conse. di. 2. reuera. & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam. 3. q. 6. hæc quippe. Quia in ijs quæ uult, ei est pro RATIONE uoluntas, Insti. de iure natu. §. sed quòd princ. Nec est qui ei dicat, Cur ita facis? de pœ. di. 3. §. ex persona alias est. c. quamuis. Ipse enim potest SVPRA Ius dispensare. 1. de concess. præben. proposuit. Idem de iniusticia potest facere IVSticiam, corrigendo Iura, & mutando. 1. de ap. ut debitus. & 1. de consang. & affi. non debet. Et omnino plenitudinem obtinet potestatis. 2. q. 4. decreto.

Quid, quæso te Christiane frater, horribilius, magis blasphemum aut Diabolicum excogitari omnino potest, quàm quòd Antichristus hic sibi arrogat?

Hæc ex primarijs Papæ scriptoribus, de norma, regula aut κριτήριον Papæ, eiusq; Synodorum, & præsertim Tridentinæ, adscribere uolui. nec enim omnes omnium aduersariorum blasphemias congerere, ob nimiam difficultatem operæ, & libri prolixitatem, libuit. Scatet enim undique ista Apocalyptica inferni bestia talibus in uiuentem Deum, eiusq; sacrosanctum uerbum maledictis ac contumelijs. Quibus & illud uel maximè memorabile adijce: quòd cum principes quidam ac ciuitates Anno 1551. uellent Tridentum ad eam congregationem suos Theologos mittere, (etiam C. M. intercedente) non tantum saluum conductum, sed etiam formulam normæ iudicij, in Basiliensi Synodo compro-

batam sibi promitti, ac in disputando in Synodo seruari, nihil tale impetrare potuerunt. Est autem in Basiliensi concilio hæc norma aut regula decreta.

Lex diuina, praxis Christi, Apostolica & Ecclesiæ, unà cũ Concilijs & doctoribus, fundantibus se ueraciter in eadem, pro uerissimo & indifferente iudice, in hac Basiliensi synodo admittantor.

In qua norma, omnia ad Scripturam referri audimus: sed patres conciliaq; tantum eatenus admitti: quatenus se in sacris literis VERACITER *fundent.*

At isti Tridentini Patres aut Fratres, reiecta illa, hanc sibi commodiorem confinxerunt, cuius hæc sunt uerba:

Et signanter, quòd causæ controuersæ secundum sacram scripturam & Apostolorum TRADITIONES, probata concilia & Catholicæ Ecclesiæ CONSENSUM & sanctorum PATRUM autoritates in prædicto concilio Tridentino tractentur.

Vbi uidemus, alios iudices esse substitutos præter scripturam, nempe traditiones, concilia, consensum & Patres: eosq; nequaquam ut in Basiliensi formula, ad Scripturam alligatos aut restrictos. Hic ergo cernis, qualem normam iudicij id Conciliabulum sibi proposuerit, nempe talem, ubi tum omnes eorum scriptores, tum consensus, id est, aliquot recentium seculorum consuetudo, tum deniq; somnia & commenta humanarum traditionum, quas isti sub Apostolorum nomine uenditant, tanquam certißima ueritatis ac pietatis Regula audienda sunt. At si quæras, quo iure & qua autoritate sibi nouam istam iudicandæ ac formandæ Religionis ac Ecclesiæ formulam fabricarint, deserta ea quæ tam recens à synodo Basiliensi comprobata est, quid tandem respondebunt? nempe, Tace tu, Nos sumus Ecclesia: sic uolo, sic iubeo, &c.

Illud quoq; euidentißimum iudicium est normæ Pontificiæ Synodi, quòd uolunt Sacras literas eatenus tantum ad iudicium de præsentibus controuersijs admitti, quatenus suam interpretationẽ à Patribus & Ecclesia accipiunt. Quo quidem modo illi propalàm se ipsos supra Scripturam collocant. Nam ipsi soli uolunt esse ista mater Ecclesia, quæ istud ius interpretationis Scripturarum habeat: præterea tandem non secundum ipsarum textum aut uerbum, sed interpretis sententiam tanquam euidentiorẽ & certiorem decerni uolunt. Quare, dum textus inflectitur ad Glossas, prorsus irritus ac inutilis est. Sumit autem sibi ista mater Ecclesia tantam licentiam in interpretanda, aut torquenda potius Scriptura, ut de eodem loco aut dicto eius modò affirmatiuè, modò negatiuè pronunciare ausit: ut suprà ex Cusano & alijs prolixè audiuimus.

Deniq; huc referatur, quòd nunc omnes aduersarij noua quidem & priscis temporibus in Ecclesia prorsus inaudita blasphemia, sed tamen uno ore clamant, Scripturam esse tantum materiam litis: qua una ac extrema blasphemia Scriptura prorsus ex omni iure & autoritate iudicij deturbatur.

Si enim eſt materia, & non potius Norma litis, ut ſpiritus S. toties pronunciat (Luc. 16 & ultimo, Rom. 15. 3. 1 & 2 Pet. 1) profectò non poteſt ullo modo in dijudicanda controuerſia, ſecundum eam fieri iudicium, aut pronunciari: ſed aliundè lumen ueritatis petendum, & iſtis dubijs controuerſiiſq; tenebris inferendum eſt.

VIVA PRAXIS SVPRA OSTENSÆ NORMÆ SYNODI, SEV REFVTATIO CRASSORVM ERRORVM CONCILII.

NE autem quis cogitet, iſta quidem quæ hactenus ex primarijs illorum ſcriptoribus recitauimus, ſatis horrenda eſſe, ſed tamen Patres concilij nequaquam tam fœdè errare, aut adeò pro libidine ſacras literas torquere & conculcare, ac de Religione controuerſiiſq; pro ſuo libitu decernere: proferemus eorum uiuam & palpabilem praxin, ex ipſorum proprijs decretis, hiſce iam fermè 20. annis in præſenti conciliabulo conſtitutis: unde palpabiliter deprehendi poterit, eos iſtam normam in dijudicandis controuerſiis & conſtituenda Religione ſequi, & temerè audacterq; ſine Scriptura, imò & contra expreſſam Scripturam, quiduis pro ſuo tyrannico libitu decernere.

In prima Seſsione decernunt, omnes Epiſcopos ac Sacerdotes Tridenti exiſtentes, crebrò Miſſarum ſacrificia offerre debere. At contrà ſacra Scriptura clariſsimè oſtendit, Sacroſanctum corporis & ſanguinis Domini Sacramentum, non ad ſacrificium Miſſæ à Chriſto eſſe Eccleſiæ ordinatum ac datum, ſed tantum ad communionem. Teſtatur item, omne ſacerdotium eſſe in Chriſtum translatum, qui ſit perpetuus Eccleſiæ ſacerdos: & denique eum ſolum plene ſacrificaſſe, perlitaſſe & Deum placaſſe. Hic ergo manifeſtè Synodus Tridentina contra ſacras literas decernit pro ſuo libitu ac libidine, ſeq; ſupra hanc diuinitùs traditam ueritatis normam collocat. Sed de Miſſæ abominatione prolixius in nona Seſsione agemus.

In

In tertia sessione, primùm decernunt, ut omnes tantùm in eo sensu accipiant, citent ac intelligant sacras literas, in quo nos sancta mater Ecclesia (hoc est Papa, qui ipsorũ testimonio errare non potest, cum suis coniuratis, qui soli propriè uolunt esse Ecclesia) intelligit. Qua ratione clarè scriptura sacra sententiæ ac uoluntati Papæ, eiusq; coniuratorum subijcitur: quandoquidem uerus sensus finaleq; iudicium non ex Scripturæ uerbis ac ex textu, sed ex Papæ, eiq; horrendis diris obstrictorum Prælatorum ore ac intellectu petendum erit.

In eadem anathematizantur, qui dubitant de autoritate librorum Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiast. Baruch, Machab. epistola Iacobi, & Iudæ, &c. Quo factò anathematizant omnem primitiuam Ecclesiam, quę de istis scriptis dubitauit: imò & ipsum Christum & Apóstolos, qui illa Veteris testamenti scripta nunquam sua citatione aut qualicunque nominatione confirmare uoluerunt: cum essent multa quæ præclarè citari inde pro regno Christi potuissent, si modò authentica fuissent.

In eadem sessione decernunt, uulgatam uersionem adeò authẽticam esse debere in omnibus publicis ac priuatis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus, ut eam nemo reijcere usquam quocunque demum prætextu aut occasione audeat. Quo facto crassè ac palpabiliter sese supra Deum, eiusq; uerbum, totamq; primitiuam Ecclesiam collocant. Nam certũ est, Deum suum uerbum primum Hebræa aut Græca lingua generi humano, & præsertim suæ Ecclesiæ tradidisse: idq; in suo uero sensu audiri, cognosci, credi, & ei obediri seuerissimè iussisse. Certum quoq; ac palpabile est, uulgatam uersionem in innumeris locis fœdè ab Hebræis Græcisq; fontibus & genuino sensu uerbi uiuentis Dei aberrare. Ergo falsum ac corruptum uerbum Dei pro uero ac genuino, contra omnipotentis Dei mandatum Ecclesiæ obtrudunt.

Filius Dei seuerissimè præcipit, Scrutamini scripturas. Id uerè, plenè ac solidè fieri nequit, si non prima ac summa autoritas uerbo Dei, ut illud primum in suo primario originaliq; sermone ab eo profectum est, tribuatur: ac nisi ipsa natiui sermonis uis sedulò

solerter

ſolerterq́ expendatur. Tota quoque primitiua Eccleſia ſenſit primam ac ſummam autoritatem deberi ipſis originarijs linguis ac teſtibus.

Furor potius id quàm error eſt. Quis enim mortalium dubitat, unumquodque ſcriptum, orationem ac ſermonem optimè ac certiſsimè intelligi, & autoris mentem proprijſsimè percipi in eo ſermone, in quo primùm eſt propoſitum, uerſionesq́ ſemper aliquid incommodi afferre?

Quis dubitat, ſpiritum S. multo aptius & certius ſua ſenſa uerbis à ſe delectis in ſacris literis exprimere potuiſſe, quàm ullus mortalium, ſua humana induſtria, poſtea in conuertendis eius monumentis?

Quid dicerent Medici, ſi iuberentur tantum, ſecundum uerſiones, præſertim infœlices, de ſuis dubijs ac controuerſiis ſentire ac pronunciare, neglectis fontibus Græcis? Quid Iuriſprudentes, ſi quis uel ſummus Imperator eis aliquam Germanicam Iuris uerſionē pro originali textu obtrudere conaretur? Quid iſte ipſe Antichriſtus Romanus uociferaretur, ſi quis eius adoratorib. uellet eius decreta & decretales aliqua uulgari lingua traductas, legēdas ac ſequendas obijcere, neglectis primis textibus: ut ſunt initio à Pontificibus dictati, euulgati, ac eius cultoribus pro authenticis obtruſi?

Quis monarcha, Rex, Princeps aut magiſtratus ferat ſuum aliquod edictum malè ab aliquo, ex natiua lingua uerti, ac eius ſubditis obtrudi: ita ut etiamſi ad manum habeant natiuum edictum, uideantq́ manifeſtas uerſionis corruptelas, tamen uerſionem, non originale exemplum ſequi cogantur?

Proinde hic manifeſtè ac palpabiliter uerbum Dei, uera Eccleſia ac ipſemet Deus cum omnibus ſanctiſsimis Patriarchis, Prophetis, Chriſto & Apoſtolis, qui ſacras literas uel conſcripſerunt, uel conſeruarunt, uel uſq́ ad nos propagarūt, ab iſto impio decreto damnātur, ac conculcantur. Si enim nefas eſt Chriſtianos ſummam autoritatem Hebræis Græcisq́ fontibus tribuere, eosq́ ut certiſsimos ueritatis teſtes audire: profectò ipſemet filius Dei ſummum nefas admiſit, qui nobis eis linguis ſuum uerbum tradidit,

& genus humanum allocutus est. Sic isti inimici Dei ipsam normam uerbi Dei peruertunt,peruersamq́ eius Ecclesiæ obtrudunt.

In primo decreto quartæ Sessionis dicunt,in conuersis ita prorsus tolli id quod uim rationemq́ peccati habet, atq́ ita illos prorsus puros ac innoxios reddi,ut nihil penitus eos amplius ab introitu cœli remoretur. Cur ergo tales perpetuò ex mandato Christi remissionem peccatorum quærere & mendicare coguntur? Hoc uerò est,quod Ioannes dicit: Negãtes se peccatum habere,Deum ipsum mendacij arguere. Quod isti patres luculenter faciunt.

Si nihil prorsus eos remoratur à regno cœlorum,cur talibus isti homines purgatorium fabricant, ubi reliquæ sordes eos à regno cœlorum impedientes excoquantur & absumantur?

In eodem decreto decernunt, remanens malum in sanctis nequaquam esse uerè peccatum. At contrà Paulus Apostolus clarè pronunciat,esse peccatum, esse concupiscentiam, esse malum pugnans & militans contra Deum & eius Legem, captiuans nouum hominem sub Legem peccati, & denique seruiens Legi peccati. An posset aliquid clarius dici, aut tantum excogitari, ad asserendum, manentem corruptionem esse uerè peccatum: quàm quòd hic spiritus S.tam grandibus & quasi atrocibus uerbis, per hoc selectissimum Christi organon, tam constanter ac perseueranter ingeminat? Quare hic isti sacerrimi Patres manifestissima praxi, re aut facto ipso, se supra uerbum Dei, & ipsum Deum efferunt, ac spiritum S. mendacij arguunt. Ille enim & uno nomine & definitione, ingeminatisq́ descriptionibus uerè peccatum esse originalem corruptionem asserit. At isti omni talia dicenti anathema decernunt. Cogita tu Christiane Lector, qualem'nam Religionem ab eis expectare possis.

In altero decreto eiusdem Sessionis, sic de officio Episcoporum decernunt:

Quia uerò Christianæ Reipub.non minus necessaria est prædicatio Euangelij,quàm lectio,& Hoc est pręcipuum Episcoporum munus: statuit & decreuit eadem sancta Synodus, Omnes Episcopos,archiepiscopos,primates,& omnes alios Ecclesiarum Pręlatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum

dicandum sanctum Iesu Christi Euangelium.

Iam tu pie Lector considera, quales nam sint isti Patres, Episcopi & Prælati, qualem'ue reformationem, Religionem ac regimen Ecclesiæ ab eis expectare debeas, cum nec ante id decretum annis amplius 500. nec pòst fermè 17 annis, suum primarium maximeq; necessarium munus prædicationis Euangelij tractauerint. Quomodo tandem isti alios salutariter reformabunt, qui semetipsos reformare nequeunt? O sal infatuatum, ad quid tandem es utile? aut quid tandem ex te aliud Christus, caput Ecclesiæ suæ, faciet, quàm quod prædixit, & nunc etiam reipsa opereq; tibi præstat?

In quinta Sessione dicunt, liberum arbitriũ non esse extinctum, sed tantum attenuatum. At contrà Deus in plurimis Scripturæ locis dicit, esse non tantum extinctum ac mortuum ad bonum, sed prorsus etiam factum hostile erga Deum. Cui ergo plus credendum est, Christo aut istis Areopagitis? Plus proculdubio illis, secundum ipsorum Regulam: quia Ecclesia sit supra uerbum Christi, aut sacram Scripturam.

Ibidem fatentur quidem numero septimo, remissionem peccatorum esse nostrã iustificationem: uerùm non solam, sed unà cum sanctificatione ac renouatione. Contrà autem spiritus S. Rom. 3. 4 & 5. clarissimè iustificationem in sola remissione peccatorum collocat. Aliquanto uerò pòst ijdẽ patres in eodem capite dicunt, unicam formalem, (hæc eorum uerba sunt) causam nostræ iusticię esse renouationem mẽtis nostræ. Quo planè excludunt remissionem peccatorum ex iusticia peccatoris. Ita tum cum uerbo Dei manifestissimè pugnant, tum & secum.

In eadem sessione numero sexto, dilectionẽ numerant inter pręparantes causas ad iustificationẽ, longo tamen interuallo dilectionẽ iustificationi præponentes. Mox uerò in sequenti Capite, dilectionem in ipsa demũ iustificatione, ut eius causam formalem infundi docent, sibimet fœdissimè contradicentes, dum dilectionem iam procul iustificationi præponunt ut causam præparantem, iam in ea ipsa iustificatione ut eius causam formalem collocant.

In eodem decreto dicunt, alium magis, alium minus iustificari. Contrà Scriptura affirmat, Christum planè iustificare & seruare

omnes credentes, nempe uera ac perfecta remissione peccatorum. Asserit etiam imperfectam iusticiam in iudicio Dei non subsistere. Pugnant ergo cum uerbo Dei, pugnant & secum. Nam in praecedenti decreto grandibus uerbis asseuerant, conuersos prorsus ac perfectissimè mundari ac iustificari.

In eodem decreto iubent dubitare conuersos, an Deus illis iam sit placatus, aut non. At contrà tota Scriptura inculcat, firmissimè credendum esse, & nequaquam dubitandum. Vnde illa tam grandia uerba de fiducia & liberrimo accessu ad Patrem & thronum gratiae. Ad quam fidem nos Deus longè dulcissimis, & plus quàm maternis promissionibus & mandatis, atque adeò etiam iuramentis allicit, inuitat, & planè compellit.

Quomodo autem tales homines, ô bone Deus, uel initium uel finem Dominicae orationis dicere possunt? Quomodo enim is Deum appellabit suum Patrem, qui dubitat, an sit sibi uel propitius Pater, uel seuerus Iudex? Quomodo item in sua precatione Amen dicet, qui dubitabit an sit exauditus (quod ea uox ualet) aut non? an à Deo remissionem peccatorum impetrauerit, aut non? Quomodo Spiritus sanctus in eorum pectoribus clamabit Abba pater? Quomodo etiam testimonium praebebit spiritui nostro, quòd filij Dei simus? Sic uno hoc decreto uniuersam pietatem euertunt: & simul Deum promittentem mendacij arguunt: & Christum, tanquam ministrum, non abolitorem peccati, summa contumelia afficiunt.

Non defuerunt autem, qui huic blasphemo errori in Synodo repugnauerint: ut Catharinus in suo edito contra Sotum libro testatur. Sed maior ac deterior pars uicit meliorem.

In eodem decreto damnant, si quis dicat legem esse impossibilem. Si possibilis est, cur filius Dei coelitus uenit, ut pro nobis eam impleret? Cur omnes, uel sanctissimi, perpetuò mendicare gratuitam iustificationem coguntur? cur non potest iustificari in conspectu Dei ullus uiuens? cur in Psalmis pij orant, ne Deus intret in iudicium cum eis, quia nemo in conspectu eius iustificari queat? Cur tantum iram operatur? Cur clarè Paulus pronunciat, Legem esse impossibilem? Rom. 8.

Cur deniq; ipsemet se in exemplum omnium piorum Roma.7. proponens, tantopere queritur, Legem quidem esse spiritualem, se uero carnalem: & planè imposibile sibi esse, quantumuis renato, eius mandatis satisfacere? Tota Hierosolymitana synodus pronunciat, Acto. 15, Legem esse planè imposibilem, nec se nec maiores suos eam potuisse portare. Cur Paulus ad Galatas negat, Legem posse iustificare ac saluare quenquam?

Ibidem damnant, quòd docemus iustos quoq; in omni suo bono opere simul aliquid peccare, ob operis summam imperfectionem. At Isaias clarè contradicit: Omnes nostras sanctitates & iusticias esse euanidas, ut florem agri: imò immundas, ut pannũ menstruatæ. Cur item Paulus pronũciat omnia opera sua esse reiectamenta, imò & dãna? An non tribuitur eis, in istis dictis, peccatum?

Deniq; ibidẽ pronunciãt, pios Verè suis bonis operibus uitam æternam mereri. Contrà Deus in Scriptura sancta pronunciat, solum Christum ea mereri: solum illum torcular calcasse. Non esse aliud nomen sub cœlo datum, per quod homines saluari queant, aut debeant. Ipsum solum esse illum unicum agnum Dei, peccata mundi tollentem: ipsum solum esse uiam & ostium ad patrem.

Testatur item Scriptura, quòd sicut uita æterna respectu Christi planè est meriti præmium, ita nostri respectu sit merum ac purum Dei donum, Isa. 55, Eph. 2. Contradicunt ergo isti homines uiuenti Deo, in suo uerbo, apertisimè. Quin & sibimetipsis. nam paulò pòst clarè ostendunt, bona opera impropriè dici nostra merita. Hæc enim sunt eorum uerba inter alia: Dei tanta est erga homines bonitas, ut eorũ uelit esse Merita, quæ sunt ipsius Dona.

Deniq; ne singula huius Sesionis propalàm impia persequar, anathematizãt eos qui dicunt, Christum uenisse in hunc mundum ut esset redẽptor, & non etiã legislator. At Ioannes contrà disertisimè legislationẽ soli Mosi, & gratiam soli Christo adscribit, inquiens: Lex per Mosen data est, gratia autem & ueritas per Iesum Christum. Item: Lex usq; ad Ioannem: Non ueni ut iudicẽ mundum: Iusticia patefit sine Lege. Rom. 3, & innumera alia loca, omnem legem ac opera à iudicio Christi excludẽtia, idem ualidisimè confirmant.

 Nihil

Nihil necesse erat Christum nouas leges hominibus imponere: Satis, & plus satis legũ iam alioqui erat in mundo, quæ nos earum debitores & præuaricatores usq; in infernum suo oneroso fœnore deprimebant. Venit igitur, ut illis legibus pro nobis persolueret, imò ut maledictum legis pro nobis fieret, & Chirographum eius laceraret: tantum abest, ut nos nouis debitis oneraret.

In sexta Sessione decernunt, Septem esse Sacramenta. At ubi dabunt certum uerbum Dei, de Confirmatione, Matrimonio, Ordinatione, Pœnitētia, & extrema Vnctione? Quid in conferendis hisce ipsorum Sacramentis, ex mandato Dei pronũcietur? Vbi dabunt etiam elementum, diuinitùs ordinatum confirmationi, coniugio, ordinationi aut pœnitentiæ? cum certum sit, sine diuinitùs ordinato & mandato ac uerbo sacramenta non esse, nec esse posse.

Iubent etiam credere, ista sua septem Sacramenta esse ad salutem necessaria. At cōtrà ipsimet decernunt, coniugium ordinatis esse non tantum non necessarium ad salutem, sed etiam planè perniciosum. Sic nec ordinatio iudicatur ad salutem necessaria.

Denique anathematizant eos, qui negant Sacramenta esse ex opere operato efficacia, & conferre gratiam etiam non credētibus. At contrà tota Scriptura contendit, omnia bona, præsertim spiritualia, & ad gratiam Christi pertinentia, per fidem accipi: contrà autem, incrudelitatem non solùm nihil accipere, sed etiam extremè Deum offendere ac irritare, sibiq; æternum exitium attrahere.

In quinta Sessiōe, sub isto imPio IIII habita 16. Iulij, anni 1562 (quæ fortè in numero octaua est) manifestissimè cōtra expressum Dei uerbum de Sacramento corporis & sanguinis Domini decernunt. Quod clare ac crassè omnibus demonstrari potest. Hæc enim sunt ipsorum uerba ex impressa eorum charta descripta:

Laicos & clericos non conficientes, non adstringi iure diuino, ad communionem sub utraq; specie. Cap. 1. Itaq; sancta ipsa synodus à Spiritu sancto qui est Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & pietatis, edocta atq; ipsius ecclesiæ iudiciũ & consuetudinem secuta, declarat ac docet, NVLLO DIVINO PRÆCEPTO Laicos & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentnm, sub utraq; specie sumendum, neque ullo pacto

salua

(salua fide) dubitari posse, QVIN ILLIS ALTERIVS SPECIEI COMMVNIO AD SALVTEM SVFFICIAT. Nam & si Christus Dominus in ultima cœna uenerabile hoc sacramentũ,in panis & uini speciebus instituit,& Apostolis tradidit,non tamen illa institutio & traditio eò tendunt,ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utranq; speciem accipiendam adstringantur,&c.

O prophana, aut blasphema potius ora. Audent citare autoritatem ac testimonium Spiritus sancti contra institutionem filij Dei? Vnde autem uel sibi uel alijs probabũt, id ipsorum decretum uenire à Spiritu sancto? At nos contrà liquidò monstrare possumus,id proficisci à spiritu satanæ,huius enim proprium est, euertere institutionem Christi:non Spiritus sancti. Quid spiritus sanctus hac de re sentiat, satis in sacris literis & à se inspiratis literis scripsit:Bibite ex hoc omnes,& id etiã de Laicis exposuit 1.Co.11

Dicunt se sequi Ecclesiã. O nefas. Vnde probabunt,uerã Christi Ecclesiam unquam communionem sub una tantum specie probasse? Num quicquid Constantiensis congregatio affirmauit aut negauit,id mox tota Ecclesia affirmauit aut decreuit(At contrà innumera testimonia extant,quod inde à Christi pasione usque ab hinc 200 annis tota Ecclesia, perpetuò integram & inuiolatam & Christi institutionem in hoc sacramento comprobauerit,& obseruauerit,quod in alio scriptos prolatis plurimis testimonijs probabimus.

Audent isti propalam & coram sole ac mundo hoc pronunciare,nullum diuinum mandatum esse de communione sub utraque specie à Laicis sumenda.

O Deus uide horrendam tyrannidem Antichristi,eiusq; mancipiorum. An non tu clarè per filium tuum instituisti sacrosanctum Sacramentum corporis & sanguinis Christi,simul sub Pane & Vino? An non etiam iteratis uicibus per eũdem seuerisimè iusisti, sub utraque specie (ut uulgò loquuntur) ritum hunc obseruari, clarè etiam dicendo, BIBITE ex hoc OMNES? non rasi tantum in misisificando,sed planè omnes Christiani:ut ipsemet Christus exposuit,cum dixit, Qui pro uobis effunditur,ab omnibus uult sumi pro quibus est effusus,& Paulus ad omnes Corinthios scribens institutio

ſtitutionem ac mandatũ Chriſti,indicat omnibus Chriſtianis com mune eſſe. Nec ſemel hoc tantum à Chriſto mandatum eſt, ſed etiam repetitis uicibus,teſte Paulo,qui addit præcedenti mandato Secundũ,inquiens: HOC FACITE,quoties Biberitis,in mei com memorationem. Tertium: Quoties de hoc pane comederitis,& de hoc calice biberitis, mortem Domini annunciate. Quartum: Qui Biberit de hoc calice indignè,reus erit ſanguinis Chriſti. Quintum, Qui enim Bibit indignè,iudicium ſibimet bibit.

En ſexies audimus,ſeuerum Domini mandatũ & inſtitutionem de bibendo ex calice Domini,recitari ac iterari. Qua ergo cõſcientia ac pietate, (ſed mitto conſcientiam) qua ſaltem fronte ac uerecundia audent negare,eſſe ullum diuinum mandatum de communione ſub utraq; ſpecie? Atque inſuper hoc ſuum tam horrendum mendacium Spiritui ſancto,& Eccleſiæ Chriſti coram toto mundo attribuere non uerentur.

Alteram iſti dicunt ſpeciem ad ſalutem Chriſtianis ſufficere. At Spiritus ſanctus qui per Paulum loquutus eſt,qui proculdubiò diuerſus ab hoc Tridentini conciliabuli ſpiritus fuit,cõtrà affirmat, uel mediocrem abuſum huius ſacroſancti Sacramenti,eſſe prorſus pernicioſum: ut quòd Corinthij non ſatis ſemet probabant,nec alios in communicando expectabant. Quid non minarum ac pœnarum illis Apoſtolus propoſuiſſet,ſi cognouiſſet Corinthios audere ipſam filij Dei inſtitutionem inuertere & mutilare, & toties iteratum mandatum,Bibite ex eo omnes,non tantũ negligere,ſed etiã expreſſo decreto ac ſeuero anathemate condẽnare ac tollere?

Quare cõmunio ſub una ſpecie uerè ſufficit ad ſalutem, ſcilicet perdendam,& æternum exitium accerſendum. Cœlum enim & terra tranſibit: unum uerò unicum uerbum,apex aut iota,de mandatis aut inſtitutis filij Dei,aut ſacris literis non tranſibit,quin omnia impleantur uel per obedientiam obſeruantium, uel per condonationem ueniam petentium,uel denique per horrendas pœnas ea negligentium.

Negant inſtitutionẽ Chriſti eò tendere,ut Chriſtianos ad communionem calicis obliget, O extremam & pluſquam Epicuream audaciam.

Quorſum

Quorſum ergo tandem tendunt inſtitutiones ac ordinationes filij Dei, niſi ut firmiſsimè à populo Chriſtiano obſeruentur? Dicite ſi quid habetis aut ſalutem comminiſci poteſtis, quis alius ſit inſtitutionis Chriſti finis, quàm ut ab Eccleſia ſanctè obſeruetur? Verum finem tollitis, & alium nominare nequitis. Cur, inquam, uos alium finem aut conſilium non indicatis, & multo minus probatis? Quis unquam audiuit, aliò tendere ullius ſuperioris mandata ac inſtituta ſubditis propoſita quàm uti ſeruētur? O blaſphemam impietatem, & cæcam furioſamq́ audaciam.

Sed nondum is furor rabiesq́ iſtis hominibus ſatis eſt, quòd expreſſum totiesq́ iteratū Dei mandatum de bibendo ſanguine filij Dei negant: Pergunt inſuper pluſquam gigantea audacia ſibi ius rapere, ſupra ipſa filij Dei ſacramenta & inſtitutiones: easq́ ſibi licere inuertere contendunt. Hæc enim in eorum decreto ſequuntur:

ECCLESIÆ POTESTAS CIRCA DISPENSAtionem Sacramenti Eucharistiæ. Cap. 2.

PRæterea declarat synodus. hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentornm dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret uel mutaret, quæ suscipientium VTILITATI, seu ipsorum Sacramentorum VENERATIONI, pro RERVM, TEMPORVM & LOCORVM VARIETATE magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscurè uisus est innuisse, cum ait 1 Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispẽsatores mysteriorum Dei. Atq; ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cùm in multis alijs, tum & in hoc ipso Sacramento, cũ ordinatis nõnullis circa eius usum, Cætera (inquit 1. Cor. 11) cum uenero disponam.)

Contrà uerò hæc sola potestas perpetuò Ecclesiæ in sacramentis uerbo ac ordinationibus Christi fuit, Audi filia, & inclina aurem tuam. Qui soluerit unum de mandatis hisce minimis, minimus uocabitur in regno cœlorum. Et, Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt. Et, Vos dico amicos meos, si feceritis quæcunq; ego præcipio uobis. Ipsemet uiuentis Dei filius testatur ac protestatur, se non habere ius mutandi uel minimũ quid, in ijs quæ doceat, ac Ecclesiæ suæ tradat. (nedum ut illud Ecclesiæ tradiderit) inquiens: Ego ex me ipso non sum loquutus, sed qui misit me pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam & quid loquar: & scio, quòd mãdatum eius uita æterna est. Quę ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

Audet Babylonica Thais, in suo uenenato Iure clamare, sibi quidem docendi & imperandi munus traditum esse, alijs uerò tantum obediendi necesſitatem incumbere. At hac ipsa regula est in populo Dei immota & cœlitus sancita: ut solus Deus sit unicus Religionis magister aut præceptor, solus ille præscribat, ordinet ac doceat id quod ipsi uideatur: totum uerò genus humanum tantum audiat, credat & obediat, Hunc hunc audite. Et, Audi filia, & inclina aurem tuam. Solius Dei est, in Religione ordinare ac decernere: Ecclesiæ uerò, totiq; generi humano, sola discendi & obediendi necesſitas restat.

Dicunt

Dicunt illi, Seruata sacramenti substantia. Praeclarè autē ista mutilatio seruat substantiam sacramenti, ut isti impostores in speciem iactant, ut miseros Christi pusillos decipiāt. An enim nō sunt duae primariae partes substantiae sacramentorum, nempe Elementum & Verbum? quorum utrunq; mutilant, ut nec ipsi quidē negant. Nam & calicem aut uinum ex hoc sacrosancto filij Dei testamento subtrahunt: & totum uerbum ad eam speciem pertinens auferunt, nempe, Et accepto poculo gratijs actis dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus, Noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. & quae alia Paulus adiungit.

Sic porrò foedè arrepto uerbo & promissione filij Dei, de dādo sanguine, unde tandem certò constabit, dari cōmunicantibus sanguinem? Neq; enim frustra filius Dei de altera tantum parte elementi, seu de solo pane dixit, Hoc est corpus: & de solo uino, Hic est sanguis. Sacramenta Dei non ex Physicis concomitantijs, sed ex solo uerbo ac institutione Dei dependent, suamq; essentiam sortiuntur. Sublato uerò uerbo mandato & institutione Dei, sacramenta planè desinunt esse.

Sic ergo sacrilegè cum substātiales huius sacrosancti sacramenti partes, nempe tum elementum, tum & uerbum mutilent & truncent, quomodo & uerè docere possunt se seruare integram substantiam: Verùm istam longè desperatissimam coniuratorū Antichristi audaciam nihil pudet, manifestè contra palpabilem ueritatem quiduis pronunciare, & blaterare. Vae illi, qui se tam crassa impostura decipi patiatur.

Dicunt sibi licere ea corrigere ac statuere in hoc Sacramēto, quae uel hominum saluti, uel huius sacramenti dignitati conueniant.

O sacrilegam audaciam, Num ergo Tridentina cohors melius nouit aut instituere potest, quid uel saluti hominum, uel dignitati sacramentorum conueniat: quàm ipsemet coelestis magister, & uni ca uia, ueritas & uita, uel etiā eius coelestis pater, cuius praescriptum filius, ut suprà audiuimus, exactissimè secutus est?

Dicunt illi, pro uarietate temporum, hominū ac locorum. Num ergo Christiana Religio adeò incerta & incōstans est, ut pro tem-

Sacramentis, prout ei uisum sit expedire. Itē aiunt, Ordinatis nonnullis: quasi Paulus ea quæ docet 1 Corin. 10 & 14. de Sacramēto, ordinauerit, & non potius tantum Christi ordinationē recitauerit.

Sed arguit in faciem eos mendacij apertissimus Pauli textus, eo ipso loco quem citant. Testatur enim diserte Apostolus, se idipsum accepisse à Domino, quod Corinthijs tradiderit: non adiecisse, non diminuisse, non etiam mutare quicquam. Quid ergo ille ibi Romanistarum more dispensauit, aut dissipauit?

Quod autem dicit, Cætera, cum ueniam ordinabo: intelligit non de ipsa institutione huius Sacramenti, quam illis iam plenè tradiderat, sed de externis ceremonijs, & accidentarijs circumstanijs, ut est tempus & modus conueniendi, sese inuicem in celebranda cœna expectandi, modestè ac parcè proposita sumendi, certo ac decoro modo sese in templis gerendi, ut mulier sit capite tecto, uir aperto, certa ratio concionandi, & quæ similia, per sese, quidem adiaphora sunt, nec prohibita, nec mandata, sed tamen ad decorum, ordinem & ædificationem facientia, ut postea dicet.

En hic cernis, pie Lector, quàm fideliter & sanctè Curtisani Romani & mancipia Papæ soleant tractare sacras literas, aut uerbum uiuentis Dei, & inde Religionis controuersias dirimere, Eos igitur modò audias, si uis in uitam ingredi. Sequuntur eorum decreta.

CANONES DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE *specie, & paruulorum.*

CANON PRIMVS.

SI quis dixerit, Ex Dei præcepto, uel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utranque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere, Anathema sit.

CANON SECVNDVS.

SI quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam, Non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos Non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, Anathema sit. Hactenus illi.

Hoc anathemate totam Ecclesiam Christi usque fermè ad nostra tempora sacrilegè anathematizant, quæ sensit ac docuit, esse Dei mandatum, ut sub utraque specie hoc sacrosanctum Sacramentum sumatur. Quin & ipsum unigenitum uiuentis Dei filium blasphemo ore excommunicant. Nam ipse, sicut à Patre iussus fuit, disertissimè dixit, Bibite ex hoc omnes: idque non tantum semel dixit, sed & sæpius repetijt, ut suprà abundè ostendi. Si igitur confitentes hoc mandatum anathematizantur, multo certè magis instituens tam iniustum mandatum.

Quæ autem tandem sunt istæ causæ mutilanti sanctissimum filij Dei testamentum, quas Ecclesiam habuisse fingitis? Cur non indicatis eas? Quæ uerò possunt excogitari, aut etiam tantum confingi causæ, cur creatura Creatoris sui mandatum peruertat?

Contrà autem (etsi hæc una causa, nẽpe institutio & mandatum Dei sit ponderosior toto mundo) recitantur non tantum à ueteribus, sed à recentissimis (ut sunt, post Ambrosium, Lombardus, Thomas, & Glossa Decreti) & à plurimis alijs recentibus pontificiorum scriptis, (quorũ testimonia aliquando fortè seorsim edentur) longè grauissimæ causæ, cur sub utraque specie sit hoc sacramentum sumendum: quorum dicta uide, Ambrosij quidem & Thomæ super 1 Cor. 11. Lombardi uerò lib. 4. dist. 11. & Glossæ dist. 2. de cons. ca. Comperimus.

Hi

Hi igitur & alij scriptores ostendunt grauissimas rationes, cur sub utraque specie sit hoc Sacramentum institutum, & sumendum. At isti, cum quidem anathematizent eos qui non credunt, ac fateantur Ecclesiam habuisse grauissimas causas tollendi posteriorem speciem, tamen nullas proferre queunt.

Est uerò obseruatu dignum, quàm Pontificia Ecclesia ac Religio sibi pulchrè constet. Isti Patres diris deuouent, si quis non credat eos habere grauissimas causas, cur tantùm sub una specie sit communicandum. At eorum Ius ante 400. annos congestum, & usque in hodiernam diem ab illis pro sacrosancto habitum, contrà pronunciat, communionem sub una specie, prægrande sacrilegium esse. Verba eius hæc sunt:

Gelasius Papa de consec. dist. 2. cap. comperimus. Comperimus autem, quòd quidam, sumpta tantummodo corporis sacra portione, à Calice sacri cruoris abstineāt. Qui proculdubiò (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integrum Sacramentū percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio unius eiusdemque mysterij, sine GRANDI sacrilegio non potest prouenire. Glossa ibidem: Nec superfluè sumitur sub utraque specie. Nam species panis ad carnem, & species uini ad animam refertur: cum unum sit Sacramentum Sanguinis, in quo est sedes animæ. Iamque sumitur sub utraque specie, ut significetur, quòd utrunque Christus assumpserit, carnem & animam: & quòd tam ad animę quàm corporis tuitionem eius participatio ualeat. unde, si sub una tantum specie sumeretur, ad tuitionem alterius tantum ualere significaretur.

En uides prorsus contradictoria dogmata, uno eodemque tempore, in regno Papę esse ac uigere: ut hinc quidem conciliabulum clamet, communionem sub una specie longè pientissimam ac catholicissimā esse, grauissimasque eius causas haberi, & contrarium dogma ut fœdissimam hæresin damnet: inde Sacrosanctum ius Paparum clamet, Communionem sub una specie esse ingens sacrilegium, & grauissimas causas haberi cur sub utraque specie sit communicandum.

contra propria decreta & conciliabula & amplius 200 annorum praxin concedere?

An non est hæc tum ipsius rei immota ueritas, tum & omnium gentium non planè Epicurearum ac furiosarum sententia & opinio, quòd si quicquam omnino aliud Religio, certè per sese suaq; natura sit ac esse debeat in omnibus suis partibus res uerè bona, salutaris ac sancta, & nullo modo ad placitum libidinemq; ullius, uel unius, uel etiam omnium mortalium dirigenda ac inflectenda, aut inde ullatenus dependens. Turcis profectò hodierna die infinitum certior, sanctior, firmior, ac magis immota est ipsorum Religio, quàm nobis Christianis: si sic in nostris sacrosanctis Mysterijs uidemus, ut Antichristus & eius impium conciliabulum iam facit. Illi enim prorsus extremum nefas esse existimant, quicquam uel in minimo de suo illo Mahometismo tollere, aut immutare.

O deploranda, imò & pudenda atq; adeò detestanda sors conditioq; Christianorũ, si eorũ Religio ac salus, ad unius Epicurei, omnibusq; flagitijs & turpitudinibus propalàm notorieq; contaminati homuncionis arbitrium libidinemq; flexilis, uaga ac incerta fluctuabit. Nihil hic opus est longa, solerti aut operosa refutatione. Incurrit enim hic furor potius quàm error, uel in ipsorum penè brutorum sensum ac iudicium: adeò propalàm fœdus, palpabilis ac execrabilis est.

Cæterùm hinc liquidò apparet, uerissimum esse quòd supra de eorum norma iudicij, Synodi ac Religionis ex eorum proprijs scriptis ostendimus: nempe, ipsis Deum eiusq; uerbum, aut sacras literas ludibrio esse, eosq; pro suo libitu libidineq; de Religione ac doctrina uiuentis Dei modò affirmatiuè, modò negatiuè statuere, ac ex suo commodo utilitateq; Leges Religionis figere ac refigere uelle, non aliter ac in politijs extremi perditissimiq; tyranni solent.

Hoc sanè est, quod toties Cusanus & alij coniurati satellites istius horrendi idoli, propalàm in suis scriptis pronunciarunt: Ecclesiam aut concilium, id est Papam cum suis mancipijs, esse super sacras literas: & licere eis de eadẽ re aut parte, Religionis dogmate, aut sententia uerbi Dei modò sic, modò aliter statuere, ipsosq;

etiam usu aut praxi agere aut obseruare.

Verùm nunc nos, relictis istis manifestis derisoribus & illusoribus uiuentis Dei, eius uerbi, Religionis ac Ecclesiæ, atque adeò omnium hominũ & totius mundi, in sua abysso Diabolicæ impietatis: conuertamus nos ad pusillos Iesu Christi, eisq; monstremus aliquot grauissimas causas, cur nullo modo possint citra extremã Dei contumeliam, & suum æternum exitium, ista ratione ac conditionibus, quas conciliabulum proponit, & Papa postea in suis dispensationibus etiam plures & tetriores proponet, uti.

Primùm: Deus uult solus esse Deus, nec uult gloriam suã alteri dare: uult solus esse magister ac formator Religionis: solus in ea uult audiri, obediri ac coli. Ideo & ob hoc ipsum damnat omnes cultus humanos, etiamsi per sese impij nõ sint, quia uult non hominum mandatis, sed suis dogmatis, aut secundũ sua præscripta coli. Frustra (inquit clamans) me colunt mandatis hominum: &, Hunc, hunc dilectum filium meũ audite, qui nihil à se loquetur, docebit aut instituet, sed tantũ (sicut dixi) pręcepi & pręscripsi ei, sic loquetur. Quin potius clamabit aut protestabitur: Quòd omnis plantatio, quam ego cœlestis pater non plantauero, euelletur, extirpabitur, ac in æternum ignem unà cum suis cultoribus abijcietur.

Quare, etiamsi esset pientissimum ac sanctissimũ dogma, quod iam ab istis proponitur: ob hoc tamen ipsum erit omnibus illud sequentibus impium ac perniciosum: quia talis communio non ut ex mandato uiuentis Dei, quod isti negant ullum adesse, sed tantum ut ex dispensatione, gratia, ac fauore Papæ accipietur.

Secundò consideretur, quinam is sit qui id concedendi ac dispensandi uim sibi sumat: nempe Antichristus ipse, omnium qui unquam fuerunt aut erunt, hæreticorum aut hostium Dei, eiusq; dilectissimi filij caput, dux & antesignanus. Quare, quicunq; ab eo talem cõmunionem recipient, ille sese hoc ipso facto Antichristo adiungẽt, eum adorabunt: & ideo necessariò ac reuera Christo seruatori hostes fient, & nefarium bellum indicent.

Tertiò, cum proponatur conditio, ut qui sic sub utraq; specie communicare uolent, simul profiteantur ac testẽtur, illam alteram diuersam & huic contrariam communionem tantum sub una specie,

cie, etiam piam, probam ac ſanctam eſſe: neceſſe erit, tales cum Deo, tota rerum natura, & ſecum quoq; pugnare.

Nam Deus uult non ſolum, ut tantum ipſum eiusq; dogmata agnoſcamus, recipiamus, & obſeruemus: ſed etiam ut omnes alios deos, diuerſasq; ab hac ſua Religione ac doctrina ſententias ac cultus, in omnibus eius partibus fugiamus, deteſtemur ac execremur. ſicut luculenter per ſuum ſelectum organon clamat: Si quis aliud Euangelion docuerit, anathema ſit. Vult, inquam, ille non tantum affirmatiuam, ſed & negatiuam fidei noſtræ ſententiam habere, ut non tantum probemus ac exoſculemur ſolum illa quæ ipſe affirmat, ſed etiam deteſtemur ac damnemus omnia uel contraria uel quoquomodo diuerſa. At iſti uolūt, ut & affirmatiuam de utraq; ſpecie, & alteram de una, & deniq; utriuſq; ſpeciei damnationem, non ita dudum per iſtos factam, approbemus.

Pugnabunt quoq;, ut dixi, tales cum tota rerum natura. Nam in omnibus rebus ac ſcientijs tantum unū de uno uerum eſt: & certè contraria de eodem ſimul uera eſſe nequeunt. aut enim pia aut impia, noxia aut ſalutaris eſt communio ſub utraq; ſpecie. Et, ſi ſub utraq; pia eſt, altera certe eſt impia: ac contrà. Si enim aliter ſe res haberent, ut contradictoria ſimul uera eſſe ac exiſtere poſſent, tolleretur omnis certitudo, atque adeò etiam ipſa rerum natura prorſus euerteretur.

Denique pugnabunt tales communicantes ſecum ipſi, cum talia profitebuntur. Impoſsibile enim eſt, unam mentem contrarias, aut etiam contradictorias ſententias ſimul intelligēter concipere & pro ueris habere. At iſti iubentur plures contradictorias ſententias ſimul profiteri; ut ſunt, Communio ſub una ſpecie recta, pia ac ſalutaris eſt: Communio ſub duabus ſpeciebus recta, pia, ſancta ac ſalutaris eſt. Communio ſub utraque ſpecie pia, ſancta ac ſalutaris eſt: Communio ſub utraque ſpecie iuſtè ac ſanctè ſalutariterq; dānata prohibitaq; eſt, & ſanctè factū, quòd innumeri Chriſtiani ob eā exuſti ſunt, exuruntur ac exurētur. Eccleſia habet grauiſsimas & iuſtiſsimas cauſas prohibēdi & damnandi utranq; ſpeciē. Eccleſia habet iuſtiſsimas ſanctiſsimasq; cauſas concedēdi cōmunionem ſub utraq; ſpecie. Hęc & alia prorſus ac ex diametro

contradictoria, iubentur isti supplices Antichristi, qui sub utraque specie communicare uolent, profiteri, testari ac protestari coram Deo, tota Ecclesia, ac uniuerso mundo: quod prorsus est imposibile, à quoquam homine uerè & ex animo fieri. Quare aut in desperationem contrita piorum pectora necessariò adducent, aut etiam in Epicureismum, ut scientes ac uolentes contra consciētiam ea profiteantur, quorum contraria in pectore suo certò statuent.

4 Quartò, qui sic communicare uolunt, iubentur se subijcere Antichristo Romano, eiusq; coniuratis Prælatis. Dedent igitur sese suosq; posteros in extremam tyrannidem, ut eorum conscientijs pro libitu imperent ac dominētur, eosq; ac eorum posteros in æternū exitium trahant ac rapiant. Sicut antea tot sæculis fecerūt.

5 Quintò, necesse erit & id seuerisimè flagitatur, tales cōmunicatores sub ipsa Missæ abominatione ab impio sacrifico talem communionem percipere. Quare sua illa participatione totū illud idololatricū sacrum necessariò comprobabunt, seq; metipsos horribilium abominationum reos coram uiuente Deo efficient.

6 Sextò iubentur, & planè necesse est, tales omnia dogmata ac totam Religionem Papæ comprobare, & publicè profiteri. Qua ratione semetipsos ac omnes suos posteros in horrendā sentinam infernalium abominationum, de quibus toties & tam solidè hactenus ille, ipsis etiam assentiētibus propalā cōuictus est, immergere.

7 Septimò, tales necessariò coguntur ac cogentur ueram Iesu Christi Religionem in tot longè grauisimis articulis ac dogmatibus, quæ hactenus luculenter ex uerbo Dei probata sunt, coram Deo, sanctis Angelis, Ecclesia, ac toto mundo abnegare, damnare, & horribiliter anathematizare ac detestari. In quo uno est totum mare peccatorum, & extrema ac horribilisima blasphemia uiuentis Dei, qui istam Religionem ordinauit, ac seuerisimè toti humano generi commendauit.

8 Octauo, hac ratione tales damnabunt omnes rectè sentientes doctores & cœtus huius temporis, imò & totam uiuentis Dei Ecclesiam, inde à Christo, uel potius à condito mundo.

9 Nonò, facient se participes omnium ineffabilium peccatorum & abominationū Antichristi, eiq; addictorū, omniū blasphemiarum

miarum, libidinum & parricidiorum: attrahentque super se omnem omnium piorum sanguinem ueritatis causa fusum, inde ab Abel usque ad ultimum martyrem, usque in finem totius mundi.

10 Decimò, tales omnes semetipsos horribiliter condemnabunt, tanquam qui petulanter, scelerate, impie ac plane nefarie hactenus à Pontifice Romano defecerint, eum pro Antichristo proclamauerint, tot eius errores accusauerint, totque eius Religioni cõtraria dogmata pro uerissimis ac sanctissimis asseruerint, totque grauissimorum certaminum, turbarum ac scandalorum causam dederint. Suo ergo proprio ore semetipsos infames, & omnibus supplicijs dignissimos proclamabũt, ut posthac in omnem posteritatem pro talibus à toto mundo habeantur.

11 Vndecimò, cum sacrosancta Domini Cœna ad hoc ipsum sumatur, ut ibi fides nostra confirmetur, nos ueram Religionẽ profiteamur, mortem Domini pro nobis factã annũciemus & ipsum celebremus: Isti tales communicatores omnia hisce ex diametro contraria patrabunt. Cogentur enim confiteri, communionem sub una specie, & damnationẽ sub utraque, quam illi tum sument, iustissimã ac sanctissimã esse. Quæ potest maior perturbatio fidei ac conscientiæ esse, aut saltẽ excogitari, quã talibus contradictionibus semetipsum implicare & obruere, ut & suprà dixi: Verã porrò Religionem Christi ibi cogentur abnegare, damnare & blasphemare, contrà falsam amplecti & profiteri. Denique ibi ipsum iam orbi terrarum ingenti Dei beneficio manifestissime patefactum Antichristum adorabunt, & simul unicum suum seruatorẽ Iesum Christum uiuentis Dei filium, infandum in modum blasphemabunt & deformabunt. Taceo iam, quòd sese à uera Iesu Christi Ecclesia, quæ uocem eius audit, separabunt: & Antichristi synagogæ, persequenti ueram & manifestam uocem sui unici seruatoris, coniungent. Taceo infinita scãdala: taceo & ipsorum propriam ac perpetuam infamiam in hoc quoque mundo.

Paulus accusat suos Corinthios, ac clamat, eos indigne sumere, reos fieri corporis ac sanguinis, ac sibimet exitium sumere: quia iusto largius sumebant, pauperes non expectabant & deliciabãtur. At isti ô bone Deus, isti inquam millecuplo indignius sument, qui

tot & tam ineffabilia crimina, tam indigna, imò & detestāda ac execranda sumptione, sibi ad æternum & prorsus ineuitabile exitium accipiēt. Satius ergò illis infinities esset, nequaquam communicare aut communicasse, imò & ipsum Christum eiusq; ueram Religionem non agnouisse, & deniq; (quod Christus de Iuda suo proditore exclamat) nec natos quidem unquam fuisse. Nam sacrosancta communio corporis ac sanguinis Domini nō ipsamet tota pietas est, sed tātum fœdus ac obligatio ad ueram pietatē. Quid ergo talibus apostatis, deficiētibus denuò ab agnito Christo, ad agnitum anathematizatumq; Antichristum, aliud talis cōmunicatio erit, quàm fœdus ac obligatio ad extremam impietatem, ad omnes infandas blasphemias & abominatiōes istius Babylonicæ bestiæ?

Cæterum, ut ad pios & constantes redeamus, Discant hinc omnes Deum timētes, agnoscere primùm manifestam, palpabilem & confutatam fœditatē errorum & furorum Antichristi, quòd ipsemet iam uidet, se non posse illos suos errores tueri: eoq; de quibusdam cuperet, si cum sua diabolica ambitione & inani gloria posset, cedere. At nos contrà tanto constātius in hoc & alijs istum conuictum & superatum Dei hostem urgeamus.

Agnoscamus etiam hinc istius summi hostis Dei uerè Luciferianam superbiam, quod illa ingentia bona, ut est etiam donatio corporis & sanguinis Christi, quæ ex eius immensa benignitate habemus, iste uellet facere sua beneficia, ut scilicet ipsi, nō filio Dei, propterea gratias ageremus. Agnoscamus eandem uerè diabolicam ambitionē: & in eo quòd iste conatur toti mundo persuadere, non satis esse quòd filius Dei & instituit & seuerißimè præcepit cōmunionem sub utraq; specie, nisi & ipse ex sua plenitudine potestatis, quàm sibi plusquam tyrannicè arrogat, de eadem re cum Ecclesia & membris Christi dispenset. Adeò nihil prorsus est Deus, eius filius ac ipsius Sacrosancta institutio & seuerißimum mādatū: nisi istud fœdißimum idolum, uerè supra Deum sese efferens, ex singulari gratia & sapientia, idē nobis miseris homuncionibus, suis execrandis Bullis concedat.

Denique hinc animaduertamus, istius Auentini Caci fraudes, quod astutè conatur miseram plebeculā ac pusillos Christi, specie

concess

concessionis quorundam minorum capitum Religionis deliniret atque ita eandem in suam horrendam speluncam infernalium abominationum & tyrannidis, unde eam Deus ingenti misericordia liberauit, denuò retrahere.

O caue tibi pusille grex Iesu Christi, tunc uel maximè, ab isto infernali Arctolyco, cùm talibus ouiū pellibus uestitus ac ornatus ad te decipiendum ac æterno exitio lacerandum ac deuorandum accedit.

Dona hostium, uerè non dona sunt, ut habet Prouerb. sed longè pestilentissima ac præsentissima uenena. Moueat te uiuū & præsens Bohemicarum Ecclesiarum exēplum, quibus ante 100. annos ista, & alia non parua multo honorificentius ac gloriosius concessa sunt: quæ postquam semel denuò iugum & frenum tyrannidis Antichristi super collum & in os acceperunt, iam prorsus sublata omni sancti Huss doctrina penitus deletæ sunt.

Dicamus igitur isti atrocissimo hosti Dei, Apage sis Antichriste infernalis, cum tuis abominandis donis. Nos ex dono, ordinatione & seuero mandato filij uiuentis Dei, nostriq; unici Seruatoris, communionem sub utraq; specie, totamq; ueram ac sincerā Religionem habemus, eamq; te ac omnibus inferorum portis inuitis retinebimus. A te uerò perinde ut à satana ipso, nec boni quidem quicquam accipere cupimus. Non si tu aut ille tuus pater nos Dominicam orationem recitare iuberetis, uobis obediremus, quin potius tāto minus eam recitaremus. Deo, eiusq; dilecto filio nos consecrauimus, & ut casta sponsa adduximus: illi, non tibi, nostram obedientiam & omnem prorsus obseruantiam præstare & probare ex animo cupimus: sicut etiam seuerissimè illi soli, & nulli præterea ei in Religione obedire ac obsequi iubemur.

Hactenus unum Antichristi cornu, aut certissimam notam omnibus ueritatis cupidis, ex proxima sessione demonstrauimus. Nunc de altero dicamus.

Prædixit olim Spiritus sanctus per Danielem, istum uastatorem regni Christi præcipuè culturū quoddam idolum, nomine Maosim. Id & re & sono nominis Papisticā missam exprimit. Eā igitur

ille

ille cum suis mācipijs, in prædicta Sesſione summis uiribus instaurare & erigere conatur, cuius machinas & moles nunc breuiter examinabimus.

1 . Primùm dicunt, Christum obtuliſſe in Cœna ſuum Corpus & Sanguinem Patri, ſub ſpecie Panis & Vini. Vnde id (ô bone Deus) habent, aut quo tandem uerbo Dei probant? imò etiam cuius tandem authentici patris aut ueteris ſcriptoris teſtimonio?

At uos iſtam horrendam falſationem Teſtamenti filij Dei, euidenti eius uerbo maniſeſtè refutamus. Nam Spiritus ſanctus per tres Euangeliſtas & D. Paulum diligenter inſtitutionem Sacroſanctæ Cœnæ narrans, & humano generi præſcribens, negat ibi quicquam tale à Chriſto Domino ac Seruatore eſſe factum. Certè ſine grandi atq; adeò extremo ſacrilegio tanta res, ut quidem eam Antichriſtus eſſe & haberi uult, excludi non potuiſſet.

Verùm ita accuratè concinneq; illud ſacroſanctum Teſtamentum narratur, itaq; ſingula uerba ac ſenſus inter ſeſe inuicem colligatur & coagmentatur, ut etiamſi fingere liceret aut liberet *alicui*, non poſſet reperire in illo ſacroſancto Teſtamēto locum, ubi iſtud Antichriſtianum figmentum, oblati à Chriſto Panis ac Vini, uel ſaltem uerisimiliter intrudere poſſet.

Sed quoniam illis adeò probè conſtat, Chriſtum in Cœna ipſorum Miſſam celebraſſe, dicāt (obſecramus) quibus uerbis eos per eorum ſacroſanctam Miſſationem ac muſſationem, qua tandem forma & modo obtulerit? Cur etiam non retinent eius propria ac formalia uerba? Cur item ipſorum ſacerrimus Canon, nullam prorſus mentionem iſtius panariæ & uinariæ oblationis, ut ſui primarij fundamenti aut baſis facit? Id profectò modis omnibus factum oportuit. At ipſorū proprij ſcriptores teſtantur, omnes partes Miſſæ, præſertim autem ipſum Canonem, annis amplis 500 poſt Chriſtum, inſtar centenos cuiuſdam conſutas conſarcinatasq; à diuerſis homuncionibus eſſe.

Quare cum Antichriſti mancipia non tantum careāt omni probatione iſtius uaniſsimi figmenti de oblato à Chriſto Pane & Vino, ſed etiam euidentiſsimè à ſacroſanctis Euangelijs mendacij redarguantur: clarè oſtēdunt, ſe non ex norma uerbi Dei, ſed ex ſuis

menda-

mendacis pectoris abominanda libidine ac audacia de tantis con trouersijs religionis pronunciare.

2 Secundò dicūt, Christum constituisse Apostolos noui Testamēti sacerdotes. Quærimus hîc iterum, quomodo aut quo uerbi Dei testimonio hoc quoq; uanissimum commentum probent? Nempè nullo alio, quàm sua perfrictissima fronte, & extrema audacia quidlibet asserendi.

At nos contrà proferimus euidētissimū uerbi Dei testimonium. Primùm, quòd totum nouum Testamētum in tanta sui prolixitate & tot librorum uarietate nusquam Apostolos uocat Sacerdotes, aut ullos omnino alios doctores noui fœderis Sacerdotes nominat. Secundò quòd idem dicit, hunc Sacerdotem semel unoq; sacrificio perlitasse, nec amplius ulla repetitione huius sacrificij opus esse. Tertiò, quòd docet Epistola ad Hebræos, ita Sacerdotium à Leuitis ad Iesum Christum translatum esse, ut ille nullum planè habeat successorem, sed id Sacerdotium per sese in cœlo perpetuò pro omnibus accedētibus exerceat. Hæc tria ualidissima testimonia, innumeris sacrarum literarum dictis fulta, eis, ut planè irrefragibilia, contra eorum uanissima & audacissima figmenta in oculos & aures obtrudimus ac ingerimus.

3 Tertio loco affirmant, suam Missam institutam & mādatam esse in uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde autem tandem hoc quoq; nugamentum, aut potius sacrilegam Sacrosancti Testamenti Christi falsationem probant? Quo, inquam, oraculo sacrarum literarum id confirmant?

Contrà uerò eos, pro nobis, tria sacrosancta Euangelia & Paulus disertissimè redarguunt: quæ ostendunt & afferunt illa uerba, Hoc facite in meam commemorationem, dicta esse de proximè antecedente mandato cōmunionis Corporis & Sāguinis. nam illi testantur, quòd statim ubi Dominus accepto datoq; pane & uino dixisset, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum: mox adiecerit, Hoc facite in mei commemorationem, ut impossibile sit aliter illa uerba rectè intelligi, quàm de ipsa sumptione Corporis ac Sanguinis Domini, quæ ibi in re præsenti, manibusq; erat, instituebatur, mandabatur & peragebatur.

Verùm præter hoc sacrosanctorũ Euangeliorum testimonium Spiritus sanctus per Paulum selectum Christi organon adhuc euidentius istam horrendam corruptelam & sacrilegam falsationem testamẽti filij Dei redarguit. Inquit enim: Hoc facite, quoties biberitis in meam commemorationem: Quoties enim panem hunc comederitis, & poculum biberitis, mortem Domini annunciate.

Clarè ergo hîc Paulus cum Corinthijs de sacra Cœna sumenda agens, iteratisq; uicib. illud, Hoc facite, de comedere ac bibere, seu de esu ac potu Corporis ac Sanguinis Domini, qui à tota Ecclesia fiebat, exponit. Inquit enim: Hoc facite: Quoties Biberitis. Audite Spiritum sanctum per os Pauli loquentem, ô misera Antichristi mancipia. Non dicit, Quoties obtuleritis, aut quoties sacrificaueritis, ut uos id uiuentis Dei uerbũ uiolenter torquetis: sed Biberitis, ostendens ac conuincens omnes sanæ mentis, illud Facere omnino ad totius Ecclesiæ edere ac bibere, & non ad rasi sacrifici gesticulatorios mimos, aut usquam prorsus aliò referendum esse.

Idem agit & in illis statim adiunctis, quibus quasi paraphrasticè uerba Domini exponit: Quoties enim panem hunc comederitis, & poculum biberitis, mortem Domini annũciate. Quid quæso tandem clarius, euidentius, ac potentius dici, aut etiam solum excogitari potest, ad refutandam uestram nefariam corruptionem sacrosancti Testamenti.

Hinc ergo euidentissimè cernis, Christiane frater, istos seductores scientes uolentes, consultò ac data opera, non solũ sine uerbo, sed etiam expressè contra manifestum ac palpabile uiuentis Dei uerbum, suum idolum Maosim aut Missam erigere conari, cum quidem negari non possint, se euidentissimè â Spiritu Dei, per sacras literas, coram toto mundo redargui ac confundi.

Dicunt illi, Christum obtulisse in sacra Cœna Corpus ac Sanguinem suum patri, sub specie Panis & Vini: at manifestissimè, ut ostensum est, à sacrosanctis Euangelistis redarguuntur. Dicunt, eum Apostolos instituisse Noui testamenti Sacerdotes aut sacrificos: at id tota Scriptura pernegat. Dicunt Christũ illis uerbis, Hoc facite in meam cõmemorationem, suam missam instituisse ac mandasse; at contrà tres Euangelistæ & D. Paulus eos uel palpabiliter

falsati

falſati teſtamenti Ieſu Chriſti coram toto mundo reos peragunt. Subrutis igitur iam eorum præcipuis fundamentis, ruit & tota iſta abominanda fabrica Babylonicæ Maoſim aut Miſſæ.

Illa quoque eſt manifeſta, & non ferenda ſacrarum literarum uiolatio ac laceratio, quod aiũt, Menſam 1. Cor. 10. altare ſignificare, cum Paulus dicit, Non poteſtis ſimul participes eſſe menſæ Domini & menſæ demoniorum: cum nuſquam id hoc uocabulum ſignificet: & manifeſtiſsimum ſit, eos tum ſacram Cœnam ſumentes, tum & in idolorum Templis idolothytis ueſcentes, ad menſas ſedere aut accubare, & epulari ſolitos eſſe, ut clarè ſanctus Paulus eiuſdem Epiſtolæ 8. teſtatur cum inquit: Si quis te conſpexerit in epulo ſimulachrorum accumbentem.

Ah, nihil ſatis dici poteſt de iſtorum ſacrilega uanitate & audacia, quiduis temerè de ſacris literis fingente & blaterante, ut modò ſuas abominationes quomodo ornent ac obtineant.

Negant iſti Areopagitæ, quicquam obeſſe iſti ſuo Maoſitico ſacrificio indignitatem Sacerdotis. Ergo iam ſublatũ planè eſt illud uetus diſcrimen, quod Deus primum ad perſonam Abelis, poſtea ad eius ſacrificium reſpexerit: & quod ait Epiſtola ad Hebræos, ideo Abelem gratius ſacrificium Caino obtuliſſe, quia fide obtulerit. At eorum proprium ius, diſt. 32. 16. q. 7. teſtatur, Papam Nicolaum & Alexandrum, ac plures ſynodos pronunciaſſe, omnes eos qui à fornicario ſacerdote Miſſam audiuerint, eſſe idololatras & excommunicatos. Quis uerò Papiſtarum eſt, qui non ſubinde à talibus Miſſas audiat? Ergo ipſorum propriũ ius pronunciat, omnes Papiſtas eſſe excommunicatos ac idololatras, & ſimul iſtam eorum Pſeudoſynodum refutat.

Non libet nunc prolixius Miſſam refutare, omnesque eius impietates, quæ innumeræ planè ſunt, recenſere ac redarguere. Hoc enim tum à nobis tum & alijs doctoribus ſæpius prolixiſsimè factum eſt. Illud tantum iam obſeruetur, quòd Canon, in quo caput Papiſticæ Miſſæ eſt, longè poſt Apoſtolos, annis amplius 500. à quodam ignobili ſcholaſtico (teſte D. Gregorio Papa) compoſitus eſt.

Tanta etiã uarietas Missarum subinde in authenticis libris repe ritur, ac ab ipsismet Pontificijs nõ ita dudum Coloniæ, Antuerpiæ, Parisijs ac Venetijs editur ac edita est, ut uel ex hoc solo liquidissimè appareat, tum illum centonem merè humanum figmẽtum esse, ac temerè pro libitu arbitrioq; sacrificiorum modò auctum, modò diminutum, modò sic, modò aliter formatum & reformatũ fuisse. Quod & ipsorum diuus Gregorius magnus Papa abundè ostendit, cũ suo Augustino Anglico, ut nouã formam Missæ Anglis tradendam suo arbitrio componat, circa 600 Domini annum suadet.

Hinc etiam cerne, pie Lector, qualem Normam iudicij isti Tridentini Seductores, an in diiudicandis controuersijs & cõstituenda Religione ac Ecclesia adhibeant: nempe, primùm fœdissimè conculcant uerbum uiuentis Dei, id trahentes & rapientes quocunq; eis libet, summa uiolentia, audacia ac petulantia. Deinde audacissimè, imò & impudentissimè fingunt & adfirmant (idq;, proh nefas, sub sacrosancto titulo ac nomine Ecclesiæ & Spiritus sancti) quicquid modò eis collibuit, eorum'ue Persicæ ac planè *Epicureæ* potentiç, pompæ & cõmodis, utile conducensq; esse uidetur.

Hactenus, Christianè Lector, audisti uiuã Praxin, quomodo Tridentini censores, secundum suam Normam aut regulam, oppressæ & cõculcatæ Scripturæ aut uerbi Dei, ac deniq; ipsius unici Magistri filij Dei uiuentis, summa licentia, planeq; pro arbitrio, aut etiam libidine sua, de grauissimis religionis controuersijs pronuncient, & insuper horrenda anathemata super totam Ecclesiam Dei decernant. Nunc tuum est, uidere ac statuere, an potius omnipotentem Deum, in suo uerbo audire uelis, an uerò ista coniurata Antichristi Romani mancipia. Vtrique mandant ac promittunt, utrique minantur: sed tamen, teste Iesu Christo (si modò quid ei quoq; in Religione tribuendum est) magis timendus is est qui potest corpus æterno gehennæ exitio perdere, quàm qui solùm interficere.

VETVS AC PERPETVA NORMA SIMVL ET PRAXIS, QVA ANTI-*christus regnum, uerbum, Religionem, ac Ecclesiam Christi pessundedit ac conculcauit.*

QVò autem eo minus dubitare possis, Antichristũ eiusq; Spirituales, uerbum uiuentis Dei aut sacras literas opprimere ac conculcare: atq; ita sese supra Deum ipsum, sicut Paulus olim prædixit, efferre: proponam tibi & aliam ipsorum praxin circa uerbum Religionemq; omnipotentis Dei, quæ non paucis istis 17 aut 18 annis Tridentini conciliabuli, sed iam fermè mille annis durauit, fœdissimeq; per Ecclesiam Dei grassata est. Eam igitur tu diligenter cognosce ac contemplator. inde enim profectò facilè perspicies, quàm horrendum in modum ista abominationis desolatio Deum, eiusq; uerbum suis contumelijs afficiat, eiusq; dilectissimi filij regnum (tanquam quidem uerè Calydonius aper de sylua) deuastet & prophanet, ac denique genus humanum seducat, & æterno exitio perdat: contrà autem suas impias blasphemias & tyrannidem prouehat, promoueat & amplificet.

Papistæ igitur longè fœdissimè, & innumeris planè modis conculcant uerbum Religionemq; uiuentis Dei, aut Scripturam sacram, quorum aliquos in sequentibus indicijs recensebo: tametsi nonnullos ex eis etiam suprà attigerim, nam omnes nemo enumerare ualeat, etiamsi linguas centum oraq; centum habeat, & insuper ferream uocem, ut Poetæ exclamare solent.

1 Aiunt enim esse ambiguam & obscuram, quam etiam summi doctores intelligere nequeant. Hinc liquidò sequitur, frustra eam legi, & in ea sudari: & alium doctorem ac doctrinam clarè loquentem audiendum esse.

2 Non omnia necessaria in ea comprehensa. Quare illa deficientia, aliunde, nempe ab ipsis & eorum conciliabulis petenda esse. Discamus ergo Dei & ueræ Religionis cognitionem ex

plenis institutionibus, relictis istis mutilis ac mancis sacrarum literarum fragmentis.

3 Ecclesiam & concilium supra Scripturam esse: quare ei etiam magis esse credendum, ut & suprà audiuimus. Quapropter planè sepositis Testamētis Domini, Ecclesiā Rom. audiuisse præstiterit.

4 Papam posse dispensare contra Apostolum & Euangelistam, & errare non posse, multum Canonistæ inculcant. Quare sequitur necessariò, solum illum summæ potestatis aut autoritatis, & prorsus infallibilis fidei, aut ueritatis doctorem esse audiendum, abiectis sacris Euangelijs.

5 Fac quod tibi bonum uidetur: id mox erit probum, pium & Deo acceptum. Hæc est usitatissima & probatissima regula, & ueluti primum principium & fons Pontificiæ religionis: sicut & omnium Ethnicorum ad idolatricarum religionum. Inde enim est apud eos tanta licentia & uarietas ethelotrisciarum, aut electiciorum operum, cultum, mediatorum & diuorum. Quæ ipsorum regula diligenter expendatur. Tollit enim funditus illud cœleste oraculum, HVNC AVDITE.

6 Ex Scriptura omnes hæreses oriri clamant: & Hæreticos maximè niti patrocinio scripturarum. Vnde necessariò sequitur, omni studio uitandum esse librum, qui tantis malis occasionem præbeat.

7 Scripturam esse materiam litis, aduersarij plenis buccis nunc blasphemant. Si materia & occasio litis est, non illa certè nos expediet ex dubijs, sed augebit tantum lites. Ergo prorsus à norma & luce iudicij Ecclesiæ Religionisꝗ amoueatur.

8 Spiritus sanctus reuelat, & reuelabit omnibus temporibus sanctissimis Prælatis, quæ erunt necessaria: quia non recedet uerbum à Propheta, nec lex à Sacerdotibus. Audiamus ergo ipsos, & negligamus Scripturam: quandoquidem tam potenter Spiritu Dei reguntur.

9 Non omnia dogmata Religionis esse præscripta in Biblijs, sed innumera per manus tradita. Traditiones ergo audiendas esse. At illæ plerunque ex diametro cum scripto uerbo Dei pugnant.

10 Scriptura non debet esse norma iudicij propter causas supra auditas. Desinat ergo posthac uocari Canon.

11 Sola uetus uersio, neglectis Græcis & Hebræis fontibus, audiatur, legatur, citetur, & tanquã prorsus irrefragabilis obseruetur, suppressis omnibus alijs uersionibus: ut plurimæ aduersariorum constitutiones (præter concilium) seuerissimè præcipiunt. In qua una re quantum incommodi sit, suprà breuiter ostendi.

12 Patres Concilia, Traditiones, & perpetua consuetudo sit interpres Scripturæ, & Norma omnis iudicij & concilij: ut statuunt Patres Tridentini.

13 Si uos (inquiunt illi) sic si intelligitis Scripturam, nos aliter, quis erit iudex? Necessariò nimirum Patres, concilia, perpetua consuetudo, & omnes Papistis recepti scriptores. Ne sit ergo post hac lucerna loci obscuri.

14 Prælati sedent super cathedram Mosis, & habent ius condendi Canones sub pœna peccati mortalis: & quicquid illi modò præceperint, nos citra omnem dubitationem aut disquisitionem promptissimè credamus, & faciamus. Audiantur ergo illi, & Religionem ab eis fabricatã sequamur, quicquid dicat aut taceat Scriptura: quandoquidem tantum ius ferendi leges in Religione illi sacrosancti Prælati, non in Mosis cathedris sedentes habent.

15 Credatur, citra omnem dubitationem aut exceptionẽ, miraculis, apparitionibus & uisionibus. Hoc sentiunt natura omnes homines, quod satis indicat experiẽtia, & ille diues cum patre Abrahamo colloquẽs. Hoc est unum ex immotis principijs Theologiæ pontificiæ & gentilis, Quare neglecta Scriptura, Moses & Prophetis, audiamus cum fratribus epulonis, quid illi, qui ex inferno à diuite epulone missi uenerunt, dicant, aut nos de Deo, religione & uera salute doceant.

16 Non esse uertendam Scripturam in uulgares linguas, ne contaminetur & prophanetur uulgaribus linguis: eademq; de causa etiam in templis, omnia latinè peragenda esse.

17 Non permittendum Laicis, ut legant Sacras literas: sed audiant modò Pontifices & Sacerdotes super suas cathedras sedentes suo libitu quod eis bonum uidetur docentes. Illis suas

animas credant, cum eos uideant tam benè proprias curare ac ſaginare.

18 Simplex carbonarij fides omnium optima eſt, ut ſcilicet tu credas implicitè id, quod credit mater Eccleſia: id eſt, Papa & Spirituales eius, etiamſi tu neſcias quid illi credant: ac nec fortè ipſimet maiori ex parte ſua, ut ullam omnino fidem religionem'= ue (ſi modò eorum uitæ, ut certiſsimo indicio credendum eſt) no= rint aut credant.

19 Opus operatum tollit fidem, & omninò omnem ſcien= tiam in Sacramẽtis, promiſsionibus & operibus, ac tota religione. Dicunt uerò Papiſtæ, ualere Sacramenta & Miſſas etiam ſine bo= no motu utentis: nec eſſe neceſſariam ueram fidem in percipiente, ad eorum efficaciam. Sic & ſuas preces ex ſola battologia ualere ſentiunt. Sublata porrò inde fide, etiam promiſsio, cui fides inniti debebat, mortua, aut certè muta eſt. Hoc principium Pſeudotheo= logiæ tum in Papatu, tum & in Ethniciſmo ac Iudaiſmo, omne ſtudium ſcientiæ Dei aut uerbi eius extinxit.

20 Dubitandum eſſe contendunt, an Deus nos exaudierit, peccata nobis remiſerit, nos acceperit, ſitq; nobis propitius aut nõ. Ergo fruſtra loquitur Deus in Scripturis, ad peccatores. At ille ob hoc ipſum tam largè & tam benignè per Chriſtum offert gra= tuitam reconciliationem, ut ei credamus: imò etiam credere ſeue= riſsimè præcipit. Vbi uerò dubitatio pia utiliſq; eſt, ibi ſcientia eſt ſuperflua, imò & noxia. Nam ſcientia & dubitatio ſibi inuicem contraria ſunt, ſeq; mutuò deſtruunt.

21 Si ex operibus uenit ſalus, irrita eſt promiſsio ſeu Euan= gelion: atq; ita omnis plenior cognitio eſt inutilis. Nam & ſine ea ſaluari poterimus, & conditio noſtrorum operũ faciet nobis pro= miſsionem incertam: quippe cui noſtra opera non ſatisfaciunt.

22 Iuſticia fidei requirit ſtudium & cognitionem uerbi Dei, propria autem iuſticia non perinde. Opponuntur enim iuſticia operum, & illa de qua dicit Eſaias, quòd Meſchias noticia ſui iuſti= ficabit multos. Item de qua Chriſtus inquit: Hæc eſt uita æterna, ut te Deum agnoſcant, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

23 Experiẽtia ipſa teſtatur, Biblia extremè iacuiſſe & tacuiſſe

in Pa

in Papatu. Vix centesimus sacrificus, aut etiam millesimus Christianus sciuit, esse aliquem librũ diuinitùs Ecclesiæ datum, secundum quem omnes saluandi, uiuere aut credere debeãt. Hodierna etiam die uix uigesimus aut trigesimus sacrificus in Papatu, habet Biblia.

24 Licentia allegorizandi & typizandi summa fuit, & adhuc est, in Papatu. Quod reuera est non ipsas sacras literas, sed sui capitis somnia & mythologias, plausibilesq; cogitationes, poemata aut inuentiones docere. Quæ ratio docendi non sacrarum literarum cognitionem, sed tantum ociosas cogitationes requirit.

25 Extrema audacia temerè citandi Scripturas, nulla prorsus habita ratione contextus, aut ueri sensus loci Scripturæ, penitus regnauit in Papatu, & adhuc dominatur. Aliquando centum testimonia de una aliqua sententia effuderunt, & adhuc effundũt Monachi, memoriæ ostentandæ gratia, quæ prorsus nihil ad rem fecerunt. Nec sanè etiam ipsi eruditiores scriptores, curam rectè uerè ac propriè citandi Scripturam habuerunt: ut etiam ex modernis Papistarum scriptis apparet.

26 Tot eorum scripta blasphema contra Scripturam subinde effunduntur, nec est qui eos coherceat. Vnde liquidò cerni potest, quàm impiè de ea sentiant.

27 Fingunt isti, Apostolos mutasse diuinitùs institutam formam baptisandi, præcepisse item de sanguine & suffocato: ergo & ipsis licere aliquid aliter, quàm Scriptura præscripsit, aut Deus mandauit, agere, ordinare aut mandare ut necessarium: & mox idem, si eis uideatur, tollere. Quis ergo in tanta licentia Scripturæ usus esse potest?

28 Indocti ordinantur, & iam annis amplius 600 ordinati sunt, nempe tantum ad Missationem & boatum: imò nec quicquam minus ab eis requiritur, quàm ut docere uerbum Dei possint. Episcopus eos ungens, radens & execrans, aut consecrans, dicit tantùm: Do tibi potestatem offerendi pro uiuis, & pro mortuis. Quid ergo opus est illis Scriptura, aut ulla omnino eruditione? Satis eis est, si utcunq; legere ac demurmurare suam Missulam queant. Necesse uerò est, in tanta ruditate ministrorum Scripturam iacere.

29 Rarissimè conciones fiunt, & præsertim olim raræ factæ sunt apud Papistas: quin & hodierna die multæ sunt ac magnæ ciuitates in Italia, & alibi in Papatu, quibus toto anno nullæ audiuntur conciones, præterquam in Quadragesima. Quis ergo usus Scripturæ ibi, ubi de ea populus non docetur?

30 In scrinio pectoris Sanctissimi sunt omnia iura: Qui ea quitur, non exuritur. Contrà, multi eorum qui sacram Scripturam scrutantur & sequuntur, pessimè affliguntur. Abiectis ergo Biblijs, attendunt illi ijs tantum, quæ ex illo sacro scrinio profluunt, egeruntur ac descendunt.

31 Dilutio aut contaminatio Scripturæ per Philosophiā horribiliter plurimumq́ fit in Papatu: ita ut Scriptura aut spiritus S. per os Aristotelis, uel potius ex corde animoq́ Aristotelis, nō suo sono, mente ac sensu cogatur loqui. Quæ prophanatio Scripturæ perniciosissima planè est, & Scripturam funditus euertit.

32 Tam uarij Ordines sunt in Papatu, quibus propriè perfectionis, Religionis aut Religiositatis ac spiritualitatis titulum laudemq́ tribuunt: præter istum unicum ac Christianum, quem penè pro prophano habent, ac cum fastidio contemnunt. Illi uerò habent suas nouas regulas, ac ueluti propria Biblia, in quibus summa eorum Religionis, aut potius superstitionis est, in quibus student, quas sequuntur & adorant, neglecta Scriptura.

33 Tam multa pro Christiana religione apud Pontificios urgentur ac seruātur, de quibus prorsus nihil in Scriptura habetur. Quis ergo usus Scripturæ? Siquidem aliunde Christiana religio petitur, & sine omni modo ac fine cumulatur.

34 Innumeræ planè omnis generis dispensationes quotidie Romæ cuduntur, & funduntur: impetrariq́, si modò æs adsit, possunt. ut de edendo butyro, caseo, larido, & alijs omnis generis rebus, habentur integra examina aut chaos indulgentiarum in omnes casus, culpas aut defectus. Quid ergo necesse est ex Biblijs scrutari, quid Deus fieri uelit aut nolit, quomodo nobis opem ferre statuerit: uos'ue eum colere, quærere aut inuocare, uel quomodo nos omnino saluari debeamus?

35 Ex manifestis præceptis fecerunt consilia. Quid hoc aliud

est,

est,quàm Scripturam & omnem Dei autoritatem abijcere? quando quidem ex seuerissimis uiuentis Dei mandatis ac dogmatibus tantum libera, nostræq́ potestati subiecta consilia fiunt?

36 Tam innumeræ dispensationes & perpetuæ Bullæ Paparum per orbem terrarum, ut infernales quidam papiliones, muscæ aut uespæ circumuolitant, uenditantur & ostentãtur, quibus conscientiæ ac Religio regitur: & iam hoc, iam illud, tum erga plures simul integrasq́ ciuitates aut regiones, tum & erga singulos mandatur, prohibetur, docetur, exponitur, ligatur, coarctatur, grauatur, laxatur, conceditur aut indulgetur. Quare Scriptura nihil opus est, sufficient tales Bullæ ad salutem, & omnem pietatem.

37 Episcopi proximis annis sexcentis, aut eo amplius, non sunt concionati: Quid ergo opus fuit Scriptura? Eandem uerò neglectionem concionum iam quoq́ retinent, & retinebunt. Ante septemdecim annos decretum est grandibus uerbis in isto conciliabulo, ut concionẽtur. Quis autem illorum ab eo tempore cœpit docere populum? Sic & in posterum stertent. Quis ergo usus erit Bibliorum? Iam amplius mille anni sunt, ex quo S. Gregorius Magnus Papa questus est, plurimos quidem esse sacrificos qui canant in Templis, paucissimos uerò qui doceant.

38 Extrema licentia quiduis uouendi, uotorumq́ exactio plerunq́ irremissibilis regnat apud aduersarios. Quare habet unusquisque Biblia in sua libidine aut prurigine, sibi uota religionesq́ pro arbitrio eligendi & uouendi. Alius currit ad Occidentem quæsitum salutem, apud Compostelanos: alios ad Orientem, Hierosolymam.

36 Si nunc (inquiunt aduersarij) Ecclesia sic intelligit Scripturam, & ordinat, credẽdum ei est: Si mox aliter, itidem, ut suprà Cusanum Cardinalem audiuimus pro Maiestate decernentem, & sæpius repetentem. Quid uerò hoc tandem aliud est, quàm Scripturam semel, ac simul penitùs abolere?

40 Christus (dicunt illi) non iussit scribere sacram Scripturam, aut uerbum Dei. Quare cum sine eius iussu, hominum arbitrio, Nouum testamentum conscriptum sit, quid de eo sentiendum sit, facilè est statuere.

41 Ex Ecclesiæ ueritate, de doctrinæ sinceritate: non contrà, ex sinceritate doctrinæ, aut ex sacris literis, quæ nequaquam sunt certa nota Ecclesiæ, statuendum esse contendunt.

42 Videantur Conciones & Postillæ Monachorum & sacrificorum, iam plurimis seculis habitæ. Reperietur in eis non Scripturæ tractatio, non etiam sanæ Philosophiæ, sed fermè meræ fabellæ & nugæ stulti eorum cerebri. Idem & posthac fiet, ubi regnabit Papatus. Quis ergo usus sacrosancti Testamenti Christi?

43 Ius Canonicum sibi rapuit totũ regimen conscientiarum, Ecclesiæ & Religionis. Quid ergo opus est Sacris codicibus?

44 Innumeri libelli in Papatu miseræ multitudini obtruduntur, in quibus nec mica quidem Scripturę tractatur aut explicatur: ut sunt, Hortuli animæ, Rosaria, Vitæ & miracula Francisci, aut aliorum Sanctulorum: Missalia, Breuiaria, Officia, Exequia, Benedictionaria, Agendæ, innumeræ Summæ, Specula, Exempla Sanctorum, Infinita sententiariorum uolumina, & similia. Quare necessariò Bibliæ obliuisci cogantur, in monasticarum nugarum copia.

45 Rectè dixerit in Colloquijs Erasmus, totã uitam Christianorum, præsertim in Papatu, in ceremonijs consistere. Quid igitur opus est Biblijs? Illæ Ethnicę obseruatiunculæ uariarum ceremoniarum, totusq; talis Christianismus, possunt etiam sine omni cognitione Dei ac eius uerbi obseruari: ut olim apud Iudæos, Ethnicos, & postea apud Papistas & Turcos factitatum est.

46 Ministri Ecclesiæ in Papatu sunt planè obruti uarijs precationibus, boatibus, Missationibus, & alijs superstitionum ceremonijs. Quando ergo uacat eis studere, aut Sacras literas secundum præceptum Domini scrutari? Quare etiamsi doctissimi initiarentur, tamen mox fierent indoctissimi.

47 Impurus cœlibatus non fert spiritum S. In quibus autem ille non habitat, ij nec curant, nec etiam intelligunt spiritum S. Nam ea profectò carnali homini non sapit: & quo Spiritu conscripta est, eodem uult legi.

48 Quot iam seculis iacent Theologicæ lectiones in Cathedralis templis & scholis Papistarum? In Italia clamosi &

rixosi Monachi,pro uerbo Dei ac Paulinis epistolis, Metaphysica Aristotelis profitentur. Sic itur ad astra, Quorsum ergo sacrosancta Euangelia?

49 Dicunt Tridentini Patres in suo decreto de communione sub utraq; specie,licere eis mutare in Sacramentis, quæ uideantur pro ratione temporum,hominum,locorum,& aliarum circunstantiarum. Si Christiana religio uariat ratione circunstantiarū, actum est de Biblijs aut scripto iure,quod de uno tantum quadam immota forma Religionis,quæ de omnibus temporibus,locis ac hominibus sit communis,loquitur Res tota hoc modo ad arbitrium gubernatorum , qui sese ad circunstantias applicare poterunt, reducetur.

50 Deniq;,quis est nunc omnium Pontificiorum scriptorum, qui quidem seriò in tuendum Papatum incumbunt,qui illustrare conetur,aut sit conatus,ipsum textū Sacrarum literarū,uel uertendo,uel Hebraismos explicando,uel alia aliqua tali ratione? Id quidē aliqui elaborāt,ut aliqua primaria sacra scripta uiolētis interpretationibus ad suas impietates pertrahant:sed in explicando ipso sacrarum literarum textu aut sermone,nemo planè occupatur. Vnde liquidò patet,quomodo sint erga uerba Dei affecti.

51 Quàm contemnant sacras literas aduersariorum doctores,etiam ex eo patet,quòd non tantum non sunt studiosi linguarum,quæ ad scrutationem sacrarum literarum extremè necessariæ sunt:sed etiam Reuchlino,Erasmo,Budæo,Viui, & alijs instauratoribus linguarum atrocissimè sese opposuerunt.

52 Papæ & eius Pseudospiritualium contemptus Sacrarum literarum & syncerae Theologiæ,etiam ex eo perspicuè deprehenditur,quod non solum alios Christianos ob inscitiam sacrarum literarum laudarunt,dictaruntq; id esse Christianam simplicitatem: sed etiam illos ipsos Ecclesiæ gubernatores ac lumina , Franciscum & alios:quem negant literatos Monachos pro suis fraterculis aut sectatoribus coram Christo extremo iudicio agniturū,ut est in ipsorum libro Deformitatum aut Conformitatum.

53 Quantopere in regno Antichristi Sacrarum literarum autoritas & eruditio aut institutio contemnatur, & olim contempta

sit, uel ex eo Christianus homo iudiciū faciat, ꝙ nemo scriptorum Pontificiorum in expositione capitum Christianæ doctrinæ diligenter ipsas primarias uoces, quibus in earum materiarum fontibus, locis aut tractatibus Spiritus sanctus utitur ex linguarum & ipsius sacræ Bibliæ consuetudine, uero usu ac ingenio explicat. Exemplo sit eorum Dominicus de Soto, qui Epistolam ad Romanos prolixè explicās, omni studio debuisset sermonem eius, ac præsertim primarias uoces (ut sunt Peccatum, Iusticia, Iustificatio, Gratia, Imputatio, & Imputatiua iusticia) explicare, ut nostri Scriptores faciunt: siquidē uoluisset in præsentibus controuersijs non suā sententiam in Paulum inuehere, sed Pauli: aut potius Spiritus sancti doctrinā illustratā toti Ecclesiæ, ut luceat corā hominibus, fideliter depromere ac ueluti in aureo quodā cādelabro proponere. Verū ille nihil tale facit, sed tantū Sophistarū glossis Paulū obscurat.

Non ergo ille Pauli mentem detectis uocū inuolucris illustrat, sed potius nube erroris suarum uiolentarum glossarum faciem eius contegit, & ueluti inducta ei quadam larua, longè alium quàm est, uideri haberiq́ facit.

54 Summa, id agitur à Satana & Antichristo, eiusq́ impijs ministris, ut Christiani planè Ethnicorum, aut etiam pecudum instar, prorsus nihil uerè ac solidè sciant de Deo, aut eius doctrina & Religione: nec possint dicere, D. Papa aut Episcope, cur hoc aut illud facis? sed credant illis, quicquid ipsi per sua mancipia in Ecclesiam euomere uolent, sintq́ illis & ludibrio & quæstui, ut etiam antea in Papatu planè horribiliter factum est.

HActenus, Christiane frater, legisti tum normam Religionis ac controuersiarum, tum & uiuam praxin: eamq́ tam ueterē & perpetuam, quâm etiam recētem: quibus Antichristus, eiusq́ Tridentinum Conciliabulum, in formanda Religione & Ecclesia, dirimendisq́ cōtrouersijs contra gloriam uiuentis Dei, & salutem humani generis grassantur. Vnde tum autorem istius aduersarij regni, nēpe infernalem illum Leonē, ueluti ex ungue (quod aiunt) agnoscere potes: tum etiam, quid tibi inde ueræ ac solidæ pietatis aut salutis expectandum sit.

Prædictus est iam olim à Prophetis, Christo & Apostolis, aduentus

uetus Antichristi. Nec quisquam uel ex nostris uel ex Papistis dubitat plurimum sua interesse, tantum Dei & eius Ecclesiæ hostem rectè agnoscere. At quis tandem unquã hæreticus Seductor'ue surrexit, aut omnino exoriri potest, qui uel crassius uel sceleratius, uel etiam diutius, uel denicq perniciosius uiuentis Dei decreta ac uerbum, Religionem ac Ecclesiam proculcare, perdere & peruertere possit: quàm istam Babylonicã Meretricem, cum suis amasijs, mancipijs ac satellitibus facere, ac longissimo iam tempore fecisse, cùm aliunde, tum etiam ex præcedentibus cognouisti.

Quare est quod in tanto furore istius aduersarij filij Dei, cœlesti Patri summas gratias perpetuò indesinenterq agamus: qui istum principem tenebrarum, exutum forma ac specie angeli lucis, tam deformi ac horrendo aspectu & facie in publicum prodire uoluit: ut non aliter per ista execranda blasphemiarum nomina, quibus ista Apocalyptica Bestia plena est, omnibus semet agnoscendum fugiendumq exhibuerit, quàm si corporea specie (ut pingi solet) cõfusus ex uarijs figuris ater, uasto igniuomoq rictu, ignitis fulgurantibusq oculis, incuruis unguibus, & prægrandibus cornibus, sese pauidis hominibus subitò uisendum obiecisset.

Quapropter inexcusabilis es, ô omnis homo, qui in tanta luce Euangelij, gratiæ ac beneficiorum Christi, & in tam horrenda ac palpabili tot abominationum desolatione, Antichristum nõ agnoscis: non illum unà cum suis conciliabulis & nefarijs conatibus defugis, execraris, detestaris & anathematizas.

Quàm multis modis Concilium Tridentinum sit ab omni iure, pietate ac æquitate Ecclesiastici iudicij alienum: quàm etiam non conueniat tot decretis ac promissis Cæs. Maiest. & Comitiorum totius Imperij: mõstratum quidem hactenus est à plurimis, & quidem etiã ab ipsis Illustris. Principibus ac statibus confessionis Augustanę, pluribus recusationibus ac protestationibus scriptis, oblatis, ac utraq lingua editis, quarũ aliquot summaria, argumenta etiã Sleidani Historiæ passim inserta sunt: sed monstrabitur fortè aliquando ope beneficioq filij Dei, Antichristum patefacientis, adhuc plenius & accuratius, quàm meris fraudibus, malis dolis, uiolentia, tyrãnide ac iniurijs cõtra omnes regulas pręscriptaq omnis

iuris

iuris ac æquitatis, in perniciem Ecclesiæ ac ueritatis instructus armatusq́ sit & grassetur.

Cæterùm, siue id factum fuerit, siue non: hac profectò ipsa, quæ hactenus de ista sacrilega Tridētina turba & nefario conatu exposuimus, satis & plus satis grauissimarum causarum continent, quæ liquidissimè & quasi palpabiliter monstrant, istud blasphemum Cōciliabulum ex patre diabolo, esse ab eoq́ regi ac gubernari, & in extremam cōtumeliam Dei, ueræ Religionis interitum, ac æternum infinitarum animarum exitium (tacemus enim huius uitæ ingentia damna, iram Dei ac pœnas) comparatum, ordinatum ac directum esse.

Volunt illi sibi ius ac fas esse, req́ ac opere ipso id sibi audacter usurpant, de eodem dogmate ac capite sentētia'ue Religionis, modò sic, modò aliter, pro suo arbitratu statuere. Volunt non solum sine Scriptura, sed etiam supra & contra Scripturam, de longè grauissimis rebus ac controuersijs Religionis decernere. Et denique blasphemant, per os sui legati ac præsidentis Cardinalis Hosij, Caligæ aut Caligulæ, hisce uerbis, Sacram Scripturā esse Creaturam, esse egenum elementum. Vanum esse Laborem qui ei impendatur, Non oportere Christianum hominem Ei addictum esse: quin etiam tandem iubendam esse Facēre, & audiendas Spirituales cordis nostri reuelationes: sicut & singulare organon Satanę Steckfeldius, impuro ore uerbum uiuentis Dei allatrat, & lacerat.

DOminus Iesus, qui ad hoc ipsum cœlitus à suo ac nostro benignissimo Patre missus est, ut opera diaboli destruat, eiusq́ caput sub pedibus nostris conterat: quiq́ secundum Pauli prophetiam, suum istum summum hostem & Satanæ primogenitum, Antichristū Romanū, spiritu oris sui conficiet, & præsentia sua abolebit: pergat eum porrò, ut præclarissimè cœpit, orbi terrarum patefacere, conficere ac destruere, & pusillū gregem suum contra eum potenter defendere, ac gloriam nominis sui, & Ecclesiæ utilitatem, infinitarumq́ animarum salutem. Amen.

M. FLACIVS ILLYRICVS.

FINIS.